ETHICA

Duobus Libris comprehensa:

QUORUM PRIOR,

ARETOLOGIA,

Virtutis tùm cognoscendæ principia, materiam, indolem & officia; tùm comparandæ adminicula docet.

POSTERIOR,

EUDÆMONOLOGIA,

Virtutis præmia edisserit.

Operâ & studiô PHILARETI,

Bonarum Literarum Professoris publici.

Sen. Epist. XCIV.

Pars Virtutis disciplinâ constat, pars exercitatione.
Et discas oportet; & quod didicisti, agendo confirmes.

AMSTELODAMI,

Apud GEORGIUM GALLET.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

ETHICA ita multis & multifariam ſunt prodita, ut faſtidio futura credi poſſint, quæ quis plura ejuſce generis ſcribere in animum induxerit ſuum. *Res ardua*, inquit ille, *vetuſtis novitatem dare, novis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia*: aſt operis haud paulò magis ardui eſt, nova penitus & incomperta, eaque in commune profutura, invenire. Ut adeò etiam non aſſecutis voluiſſe abundè pulchrum atque magnificum vulgò videri ſoleat. Harum laudum nullam ſibi præſens

Scriptum vindicare audet: imò ne quidem in argumenti, multis multoties retentati, & minimè pœnitendo artis usu reculti, fiducia satis præsidii habet, quominùs lucem aspicere, & rem literariam, plus satis mole sua laborantem, ampliùs etiamnum gravare metuat. Quæ causa mihi hactenus visa fuit justissima, cur schedas hasce, evulgandi occasionem non jam solùm nullus captarem, sed iterum atque iterum oblatam cautè evitarem, tandemque obtrusam, instante typographo, qua poteram arte honesta protelarem: easdem libentiùs æternùm latere passurus, nisi amicorum atque Studiosorum Adolescentum nonnulli, quibus hæc mea, quum publicè prælegebantur, per ætatem audire non licuit, flagitationibus suis renitentem vicissent. Porrò

quod

quod opusculi primùm suscipiendi consilium fuerit, paucis expediam. Duodevicesimus labitur annus, ex quo Cathedræ Scholasticæ, Deo sic providente, admotus sum. Ibi tùm primùm meæ partes erant, linguam docere Sanctam, & tradere præcepta morum. Vixdum posteriorem muneris impositi partem aggressus eram, quum in rem & Auditoribus & mihi fore sensi, si non fugiente solùm docerem voce, sed ad calamum quoque dictarem, quæ literis custodibus potiùs, quàm memoriæ parùm firmæ commissa vellem, in usum posthac, ubi occasio ferret, depromenda. Cujus instituti & hæc non postrema mihi ratio fuit, quòd, sic jubente consuetudine, an lege? Author mihi esset enarrandus, qui alteram Theologiæ partem, quam di-

cimus practicam, perſpicua quidem & methodica brevitate, præſcriptô *Ethicæ Sacræ* titulô, complexus eſt, omiſſis, quæ pro inſtitutione & diſciplina morum Philoſophia ſuppeditare poteſt: quanquàm prælectionum Ethicarum Auditores etiamnum Philoſophiæ operam darent, Theologiæ Sacris necdum per ætatem maturi, nec initiati. Atqui non immeritò intempeſtivum ac præpoſterè factum videri poſſit, Philoſophiæ diſcipulis prælegi, quæ niſi ſolidiore principiorum Theologiæ cognitione antè imbutis rectè intelligi nequeunt. Neque in eo ſatis cauſæ apparet, cur Philoſophia Moralis contra morem Scholis ferè receptum neglectui ſit, quòd ſolidam virtutem nec docere poſſit, nec præſtare: habet enim nihilominùs, quæ ad multa in omni hominum

num vita, cumprimis ad demonſtrandam virtutis, officiique noſtri neceſſitatem uſui ſint. Fidem faciant principia benè multa, quæ inſpectâ Dei mentiſque humanæ naturâ docemur, in parte generali hujuſce tractatus è ruderibus quaſi & parietinis divinæ imaginis eruta, ſuis deinde locis in parte ſpeciali paſſim ad uſum referenda. Philoſophiam porrò Moralem, ancillæ inſtar & pediſſequæ fidelis, in famulitium Theologiæ recipi, quid verò prohibeat? Etenim, quemadmodum *oculi ancillæ perpetuò ad manus heræ reſpiciunt*, ut inquit Hieropſaltes: tametſi dubium non ſit, quin levioris momenti haud pauca famulæ judicio & curæ relinquantur: itidem & Ethica Philoſophi obſequium debet Theologo, quanquam & ipſa ſuos intra limites haud pauca

ſana & utilia documenta continere queat. Quid? quòd Philoſophiæ Morali cum Theologia hac quidem in parte non uſque adeò malè conveniat, quin, quæ *hæc* de morum ſanctimonia præcipit, *illa* conſcientiæ teſtimoniô comprobata reperiat. Placet Hieronymus, qui de Sapientia Gentilium inter alia ſic ad Magnum; *Legimus*, inquit, *in Deuteronom. Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, ſupercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & ſic eam habendam in conjugio. Quid ergò mirum, ſi & ego ſapientiam ſecularem, propter eloquii venuſtatem & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Iſraelitidem facere cupio? & ſi quicquid in ea mortuum eſt idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado?* Atque hinc

natum mihi præſens opuſculum, hactenus non juſti tractatûs, ſed commentarii veriùs, vel ſupplementi locô numerandum. Factum poſteà, ut cùm Diſcipulorum alii ejus exſcribendi copiam ſibi rogarent, idemque alii ad prelum expeterent, pretium ejus, ſi typis evulgaretur, exſcribentis laborem minimè æquaturum rati, ad ſecundas curas revocatum, variiſque ſupplementis, quæ cùm noviſſima & probatiſſima hujus argumenti Scripta multis in lucem edita; tùm mea mihi qualiſcunque penus ſuppeditare poterant, adauctum, accuratiorem artis formam acciperet, neque tamen longiùs, quàm ad ipſum Virtutis Chriſtianæ quaſi confinium procederet; quà porrò eundum eſſet, intentô veluti digitô monſtraviſſe ſatis habens. Stylum quod attinet, ſanctiſſimæ Diſcipli-

ciplinæ ambitioſa quærere ornamenta nec potui nec debui; feci tamen, quantum ejus potui, ne barbaries offenderet, pariter cavendum arbitratus exemplum, cùm illorum, in quos dicit Seneca; *Nocet illis eloquentia, qui non rerum faciunt cupiditatem, ſed ſui*: tùm aliorum, qui Ethicam inconſultô altercandi ſtudiô ſupervacuarum quæſtionum mole ſuperobruunt, vitam humanam non inſtruentes ſed turbantes: ex quorum proin lectione ſurgas neſcio quomodo frigidiùs veram erga virtutem affectus, ſed irritatior ad contentionem, Philoſophus ut ille ait, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. *Factis procul, verbis tenus.* Cæterùm prima bonarum Literarum ſtudia juvare propoſitum fuit, præceptis methodô adoleſcentium ætati accommodâ digeſtis. An autem, quod in votis eſt, mihi

cer-

certum promittere ausim, rectiùs judicabis, quisquis libellum, vel certè, si tantum laboris abs te pudenter exspectare non possim, partem ejus, sublegere non dedignatus fueris. Mihi, quod jamjam usu compertum est, spem facit, Adolescentes, ubi studiorum authorem Deum, ducemque veritatis amorem unicum, sibi constituerint, è lectione ejus pretium operæ non pœnitendum facturos. Vale.

Martial. lib. x.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

Arcto-

Aretologiæ Pars posterior.

Ethicæ Liber Secundus, qui est Eudæmonologia.

Ethicæ Prolegomena.

De Natura Ethices, Ejusque partitione.

§. I.

Ethicam appellamus Doctrinam de moribus hominis ad benè beatéque vivendum componendis.

Explicatio.

1. Ethicæ *ἀπὸ τῶν ἠθῶν* à *moribus*, quos sibi formandos hæc Disciplina sumit, nomen factum. Sunt autem *Mores vivendi ratio usu firmata.*

2. Parum referre videtur, generis loco artem dicas, an scientiam, an prudentiam &c. Haud tamen temerè est, quòd quam docemus Ethicam, Doctrinam, quàm artem &c. dici malimus: ne vixdum limen hujusce scholæ salutantibus litem moveant illi, quibus nihil non ad Aristotelis placita morosè nimis exigere volupe est. Quæstiones, quarum disceptatio ad vitam benè comparandam momenti nil affert, velut intempestivas à sacris hisce nostris excesse jubemus: rem habere nolentes cum illis, qui

——— ——— *Virtutem verba putant, ut Lucum ligna.*

3. Reliqua præcepti *Subjectum*, tùm *tractationis*, tùm *informationis* & *finem* exhibent. Quæ enim Ethica docet, *Subjectum tractationis*: quos docet, *Subjectum informationis*, dici consueverunt.

§. 2.

Subjectum tractationis sunt Mores & Beatitudo.

Expl.

1. Duo ista, *Mores* & *Beatitudo*, utramque hujus Disciplinæ paginam faciunt. Hâc quidem actionum nostrarum veluti meta; illis ubi, quô par est, modò fuerint comparati, ad metam hanc contendendi via continetur.

2. Morum nomine cùm virtutes pariter & vitia veniant, de his atque illis, quanquam dispari ratione, quæ tenenda sint, Ethica præcipit. Etsi enim Virtutis, quæ una beatitudinis spem facit haud inanem, præcipua hîc cura sit; nihilominùs viatorem nostrum, ne quà deflectat incautus, de diverticulis cavendis commonitum oportet. Quin imò, ut in arte Medica morbis, sic in Ethica vitiis, ut nunc sunt res humanæ afflictæ, percensendis locus aliquis necessariò dandus est; morbo enim ignoto medicinam facere qui parat, nihil agit. Unde *in remedium animi, non exercitationem ingenii, Philosophiam inveniam*, prudenter dixere Stoici, totius nomine partem appellitantes suô judiciô, quidni verò etiam nostrô? longè nobilissimam.

Sen. de benef. l. VII. c. 1.

§. 3.

Subjectum informationis est hominum quisque, à rationis usu valens, quatenus bonis moribus est imbuendus, & à pravis abducendus.

Expl.

1. HOmo virtutis inops & ad mala pronus nascitur. Id quod nec Philosophum omninò latet. Unde Cic. *simulatque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuò pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur*. In hunc hominem sanandum, refingendum, perficiendum, quicquid artis suæ habet, Ethica explicat. *Tusc. Quæst. lib. 3.*

2. Objicienti; hominem vera demùm fide prædĭtum solidæ virtutis esse capacem, atque adeò capessendis Ethicæ præceptis aptum: Respondeo; istuc me fateri verissimum, genuinæ virtuti nusquam nisi *in corde Evangelica fide* ab errorum sordibus *repurgato*, locum esse: nihilosecius neminem non, qui suæ sit mentis compos, & id ætatis, ut Rationem in consilium rerum agendarum adhibere queat, probis esse moribus informandum, & à malis avocandum. *Act. 15. 9.*

3. Neque moramur illud Aristotelis; *διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος*. An ætas ulla, quòlibet afflicta morbô sanitati recuperandæ immatura? Rectiùs Seneca; *Omnis*, inquit, *ætatis homines hæc Schola admittit: in hac senescamus: hanc ut juvenes sequamur*. Imò ipsissimus Otii Magister; *Neque juvenis quisquam differat Philosophiam, neque senex defatigetur; non enim immaturus quisquam, aut victus & effœtus est ad animæ sanitatem*. Ut cœlô tranquillô & mari placido nautæ, quæ contra tempestatem usui sunt, expediunt: sic in ista ætate nondum tot curis & fluctibus exposita, quæ sunt illis mitigandis, aut tollendis, jure præpares. Sunt porrò puerorum ingenia maximè flexibilia, ex virtutum præceptis & exemplis fingi aptissima. Quotusquisque est, qui ubi vitia secum adolescere siverit, facilè mitescat, & *culturæ patientem commodet aurem*? Unde *Nicom. lib. 1. c. 1.* *Epist. 76.*

etiam puerili ætati hac in parte divinitùs cautum legimus in S. pagina: jussis parentibus, ut suos quique liberos à prima usque pueritia legem Dei doceant.

4. Quid verò homini hîc curandum veniat, paulò propiùs est dispiciendum. Homo *mente* & *corpore*, substantiis toto quidem genere diversis, arctissimo tamen fœdere junctis, constat. Utriusque partis cultura suô quôdam modô occupat Ethicum, tametsi sola mens, doctrinæ capax, præceptis ejus informetur.

5. Mentis quidem varii sunt modi cogitandi, quorum summa duo liceat constitui genera, ad quæ mentis humanæ functiones quælibet haud incommodè reduci queant. Ad *Prius* pertinent omne genus *Perceptiones* rerum, quæ vel menti in se ipsam reflectenti occurrunt, vel sensui forinsecùs offeruntur: cujusmodi sunt *purus*, quem vocant, *intellectus*, cui sua obituro munia nihil opus est corporis adjumento. *Sensus* deinde, cùm *Interni*, *phantasia* & *memoria*: tùm *Externi*, *visus*, *auditus* &c. qui adeousque à corporis pendent commercio, ut pro varia ejusdem temperie varient & ipsi, organorum læsione nonnunquam omnem sensus vim elidente.

6. *Posterioris generis* sunt *Voluntas* & quicquid assensum trahit, vel voluntatis quid involvit. Velut est facultas affirmandi, quæ vera; negandi, quæ falsa sunt: prosequendi, quæ bona; aversandi, quæ mala. Omnia denique animi pathemata, quæ voluntatem quoquô modô afficiunt, bonique prosecutionem juvant, vel sursum retardant eandem.

7. En jam nobis animi solum! quod ubi neglectum jacere siverimus; quid aliud nisi sylvescat, horrescatque; *namque neglectis urenda filix innascitur agris*: culturâ adhibitâ utile & fructiferum fiat? Atque hîc quæ spissa caligo, quis ad vera bona stupor, quæ infrænis in nihili rebus curiositas, occupet mentem; quæ morum perversitas, quæ indigna

digna servitus, quæ mille mala effrænatam teneant voluntatem: quis sensuum & affectuum abusus, quæ sit ἀταξία, identidem recogitare, virtutis studium atque profectum apprimè juvabit. Hoc quasi vomere proscindendum animi solum, & sementi præparandum est. Sementem porrò dabit virtutis doctrina, omnis eò insumenda, ut intellectu veritatis luce collustrato; voluntate ejus, quod simpliciter optimum, prosequendi decretô munitâ; memoriâ præceptorum veluti supellectile instructâ; sensuum denique & affectuum usu ad bonæ mentis obsequia temperatô, lætam virtutis messem olim percipiendam sperare liceat.

8. Adhoc de animo. Corporis etiam excolendi studium extra curam Ethici non esse, vel jam dicta probant. In corpore varii cientur membrorum motus: quorum alios non equidem ab animo effici, ejus tamen imperium sequi aptos natos; alios, eidem imperio nequaquam obnoxios, à sola partium conformatione atque organorum impetu pendere, nullô fermè negotiô animadvertimus. Exemplo sint hæc: pro arbitratu intendis oculos, rei quid, sive te propiùs adsitum, sive longiùs à conspectu tuo submotum, intuiturus. Sumis cibum potumque molestius vellicante stomacho, satis necessitati naturæ facturus. Modicâ ambulatiunculâ liquidiorem defæcatioremque facis somnum, quoties ita volupe. At oculi pupillam remota intuenti hiare: rursum propinqua contuenti coïre: cibum absumptum, digestione ritè facta, in succum alimentitium converti, & per venas distributum deinceps in corporis nutricationem cedere: nervis & musculis spiritûs animalis affluxu distentis vel coarctatis, eos crurum pedumque cieri motus, quibus ad ambulandum usus est, non perinde tui est arbitrii: hisce non ideò bellè procedentibus, quia ita tibi visum sit. Non igitur his, sed illis, nimirum arbitrariis membrorum motibus, in quibus ad bonæ

voluntatis imperia assuefactis sancta virtutis imago, menti impressa, relucere solet, legem dicit Ethica. Ita ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, *mens, intelligendi, judicandi, volendique vi prædita*; καὶ ἡ ψυχὴ, *mens eadem sensibus pulsari, & affectibus diversum agitari sueta*; καὶ σῶμα, *membrorum motus, quos duci à mente regique par est*, Ethicæ curam deposcunt. Inde adeò Thes-
1. Thess. 5. 23. salonicensibus eadem à Deo *sanctificari*, in votis fuit Apostoli.

§. 4.

Finis Ethicæ propositus est Benè Beatéque vivendi *rationem docere.*

Expl.

1. STοici, testibus Cicerone, *de finibus*, & Senecâ, passim *in Epistolis*, summum hominis bonum in sola virtute positum, & ut *prisci illi Heroes, nati melioribus annis*, nullum aliud τοῦ κατορθώματος *rectè facti* præmium, quàm *fecisse*, atque adeò inter *benè & beatè* vivere ne hilum quidem interesse, autumant. Unde & illud Poëtæ; *Ipsa sui merces rerum pulcherrima virtus.* Et Alcumenæ apud Plautum;

In Amphitr.

——— Virtus præmium est optimum,
Virtus omnia in se habet: omnia assunt bona, quem penes est virtus.

Secùs tamen nobis & quare, visum, opportuniùs dicetur, ubi de summo Bono & præmio virtutis. Interim.

2. Hoc interesse putamus: Illud Poëtæ; *Ipsa sui merces* &c. non competit virtuti, quà virtus, & officii est, sed ut ipsamet etiam proprietas quædam sui ipsius est. Si enim *benè vivere* interpreteris, *officium facere suum*, non idem erit, atque *beatè vivere*. Rursum, si id ipsum *benè vivere* accipias tanquam naturæ humanæ decus atque perfectionem quandam

amore

amore & studio veritatis, rectitudine cogitationum, consiliis, verbis, factisque, homine imaginem Dei gerente dignis conspicuam, partem dixero *vitæ beatæ*, haud postremam, quam excipit æternum perseverans felicitas summô bonô fruentis, sive consummatum illud animi gaudium, è sensu summi Boni, quod sibi ceu maximè *suum* repræsentat, existens. Sic *sanctificationem* S. pagina quotidianis virtutum auctibus ad mortem usque corporis proficere, & in morte demùm consummari, docet, Sanctorum inde obitum, quô quicquid adnati, contractique vitii & labis superest, aufertur, *circumcisionem quandam non manu factam* appellans. Eam consequitur *gaudiorum satietas*, cujus primitias hanc viventibus vitam prælibandas offert, plena messe futuro seculo reservata. Rom. 8. 10. Col. 2. 11. Psal. 16. 11. & 17. 15. Ro. 8. 23.

3. Sic maximô operæ pretiô & felicissimo laboris proventu hæcce morum disciplina, veræque sapientiæ studium sese commendat: absque quo literæ si sint, & solitariæ, quid nisi levem oblectatiunculam aut otii deceptionem habent? *Cujus errores minuent? cujus cupiditates prement? quem fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem facient?* Ad sapientiam igitur eant & nos ducant: non aliter, quàm qui in patriam tendit, viâ utens & diversoriis, sed non illa finem habet, aut mansionem. Quòd si aliter, en Epictetum, qui avocat & increpat; *Homo, oblivio te cepit instituti tui? Non huc ibas, sed hûc.* Sen. de brevit. vit. c. 14. Diss. III. c. 23.

§. 5.

Ethicam duabus complectimur partibus: Una quidem est de cultura & regimine animi, sive virtute: altera de virtutis præmio, sive beatitudine. Illam Ἀρετολογίαν, hanc Εὐδαιμονολογίαν dicere liceat.

E x p l.

Super ista partitione bimembri, ut & ordine, quo membra pertractari debeant, cum aliis, qui-

bus fortè hæc nostra minùs probabuntur, verbis contendere nolim. Aretologiam præmitti placet. Cùm enim veritatis cognitio, indidemque pendens virtutis amor, partem beatitudinis faciant non ignobilem, virtutem tibi priùs cognitam oportet, quàm ad naturam summi boni & beatitudinis indagandam accedas. *Ethica* quidem *Utens*, ut ita dicam, quod in executione ultimum est, in intentione primum amplectitur. *Ethica* verò *docens* quamobrem lege methodi analyticæ, quam vocant, necessariò adstringatur, hactenus nostro pro instituto non satis apparet.

§. 6.

Aretologia est prior Ethicæ pars, quâ quid virtus, & quæ virtuti quærendæ comparata sint adminicula, exponitur.

Expl.

NOn satis opinor esse, splendidum virtutis decorem amplo definitionum & distributionum apparatu proposuisse: imago enim hæc esset & statua, pulchra quidem aspectu, sed vita quasi & vigore destituta. Animam ergo dabunt virtutis acquirendæ præcepta. Paucos vivere videas, qui curæ habeant, quemadmodum animum, ut fieri est æquum, excolant, & vitæ rationem ad normam componant. *De partibus vitæ quisque deliberat, de summa nemo.* Hominum adeò socordia hanc Ethicæ partem summè facit necessariam: idem fatente, atque etiam iteratò inculcante Aristotele; *Inutile enim ferè fuerit, virtutem nôsse, verùm quomodo & ex quibus paretur, non intellexisse* &c. Attamen quod verbis præ se tulit, re ipsa non præstitit, partem hanc, tot libris de re Ethica conscriptis, nusquam executus. Quinimò hoc Gentilis Philosophiæ deliquium est, quod inevitabilem vitiatæ naturæ impotentiam

Magn. Mor. l. 1. c. 1.

supe-

superandi, veramque virtutem comparandi adminicula non suppeditet, quæ nulla satis commoda habet. Utrumque verò cùm præster Christiana Religio, summam inde suam nobis commendat excellentiam.

§. 6.

Rursus Aretologia subjectam sibi materiam habens tùm quæ ad virtutem in genere pertinent; tùm quæ ipsam in specie spectant, bipertitò subdividitur in partem generalem, quæ est de subjecto virtutis occupante: & specialem, quæ est de ipsa virtute, variisque ejusdem officiis, sive generibus &c.

Subjectum Virtutis occupans, in homine quidem sunt actiones morales, affectus & habitus: extra hominem sunt tùm res, in quibus; tùm personæ in quas, virtus exercenda.

Expl.

Hujus præcepti ampliore explicatione supersedemus, quam viam existimamus ineundam, verbô significâsse contenti, reipsa verò hôc opusculô, quoad per brevitatis studium fieri poterit, ostensuri.

§. 7.

Ευδαιμονολογία Virtutis præmia edisserit. Eòque summum dari actionis humanæ finem atque bonum, cujus possessio beatitudinem suis numeris completam affert, & ubi reperire sit idem, gravibus atque indubiis argumentis edocet.

Expl.

Quò consiliô metam virtuti propositam tantô hinc dimoveamus intervallô, suprà diximus. Hîc loci digitum quasi eminùs intendisse sufficiat rectà ad institutum pertecturis: quod ut benè vertat, faxit Bonus ille & Rectus, Jehova, monstrans peccatoribus viam. Psal. 25. 8.

LIBRI PRIMI ETHICES
sive
ARETOLOGIÆ
PARS PRIOR.
CAPUT I.
De
Actione morali in genere.

§. 1.

Actionis moralis nomine venit, quicquid homo, quà intelligendi volendique facultate præditus, & in ordine ad finem, quem intendere, & ad exemplar, cui in agendo se conformare debet, consideratus, consulit, dicit, facit, vel etiam faciendum omittit, eo effectu ut facti vel omissi rationem posci, & quicquid inde provenit, eidem imputari queat.

1. PRimum, quod ad materiam Virtuti subjectam spectans in homine ipso se considerandum offert, est *actio moralis*, nomen inde fortita suum, quòd ob hujus generis actiones, prout benè vel malè fuerint comparatæ, similiter quisque moratus perhiberi, ipseque animi habitus actionibus crebrò repetitis contractus, *mos* appellari solcat.

2. Fun-

2. Fundamentum *moralitatis* actionum hominis est, 1. Quòd istæ actiones dirigi atque provenire censentur à facultatibus, quas humano generi præ brutis Creator Opt. attribuit, ita quidem, ut velut prælucente Intellectu, ac decernente voluntate suscipiantur. Quem in censum proinde referri non possunt actiones, quas vocant *merè physicas*, puta motus, qui in corpore nobis non consciis cientur, ab œconomia sanguinis & spiritûs animalis, ac impetu organorum, omninò pendentes: quibus, exempli causâ, cibus digestus, sanguini suffusus, arteriarumque pulsu ventilatus, quaqua versus ad nutricatum corporis distribuitur &c. Isti proinde motus, si quid vitii trahant, id homini imputari nequit: nisi quatenus sponte ejus prava vivendi ratione contractum fuerit. Unde non iniqua lex veterum Gallorum, quæ, narrante Strabone, *mulctabat* juvenem, qui justô habitior *Zonæ mensuram excesserat*: quòd ventrem prominulum illa in ætate ingluviei & desidiæ argumentum crederent. Sed de imputatione, cujus etiam in præcepto meminimus, alibi, opportuniùs. 2. Quòd homini, maturâ saltem ætate & judicio valenti *testis* est *conscientia*, haud obscurè hanc edocens veritatem; *Summum esse finem*, quem agens intendere: *Bonum*, quod omni studio quærere; *Dominum*, cujus imperium agnoscere: & *Exemplar*, ad quod in omni vita quisque se conformare debeat: eam item veritatem amare, eandemque consiliis suis, atque dicendis, faciendisque regulam præscribere, & legem dicere inviolabilem, sanctum esse, justum, honestum atque decorum. Ex adverso veritatem eandem odisse, dedignari, nihil pensi habere, turpe esse, atque indecorum. Posse igitur suam cuique actionem, tanquam authori, rectè imputari, satis non est ad id, ut *actio moralis* dicatur, etsi non desint, quibus sic videatur.

l. 4.

3. Legem de qua mox monuimus, non tantùm

dicendis, faciendis & *omittendis*, sed & *consiliis* dictam volumus: homine etiam *moraliter* agente, quando consulit, aliud ex alio cogitat, mente quid machinatur &c. Maximè verò si cogitatione sponte suscepta animum oblectet: ut *stultus*, qui cogitationem, *non esse Deum*, in deliciis habet atque fovet, peccandi licentiæ indulturus: à quâ cæteroquin non est, quod magis absterrere queat, quam sensus Numinis animum nequicquam sese obfirmantem fulguris instar percellens.

Psalm. 14: 1.

4. Neque illud quemquam morari velim, quòd *moralibus actionibus* accenseo *omissionem*. Cùm enim sit omissio ejus, quod factum oportuit, hactenus prudentis & volentis, atque ideò non prorsus nihil agentis, fuisse censetur. Hinc & facienda omisisse, est peccâsse, & pœnæ facit obnoxium.

5. Ex dictis consequitur; Actionem moralem in ætatem infantilem non cadere. Præterea mente captorum, furiosorum &c. quibus nullâ graviore suâ culpâ id mali accidit, actiones enormes, durante furoris æstu perpetratas, veniam potiùs & commiserationem, quàm improperium mereri. Peccant verò, quibus triste spectaculum voluptati est.

6. Actio in genere, ut hactenus, spectata, ad materiam virtuti subjectam pertinet: *suum namque in ea tenere modum virtutis est*. Ejus porrò quæ consideranda veniant, sequens præceptum doceat.

§. 2.

Actionis moralis spectari solent Principia, sive Causæ, & Genera.

E x p l.

1. Ut, quæ de actionum generibus tenenda sunt, rectè percipiantur, primùm Causas tùm

tùm *Efficientes*, è quibus producuntur; tùm *finem*, ad quem attemperantur, inspici oportet.

2. *Efficientium causarum* aliæ quidem *intra* hominem reperiuntur; aliæ *extra* hominem, vires tamen suas in hominis intima quæque explicant.

3. *Intra* hominem est *Intellectus* & *Voluntas*, præcipuæ dotes, homini præ brutis concessæ. Ille quidem principium actionis quasi *dirigens*; hæc *imperans* & *exequens* dici consuevit. Unde *legum imperia* audire & moribus imbui aptus natus est homo: eoque nomine actiones ejusdem longè nobiliore classe censentur, quàm motus illi brutarum animantium, quos sensuum stimuli, citra antegressam rei cujusque appetendæ vel fugiendæ cognitionem, eliciunt. *Extra* hominem sunt causæ, quæ ipsum actioni *præparant*: sunt deinde, quæ ad agendum *impellunt*. Hæcce suô quæque locô & ordine, quantô fieri potest perspicuitatis & brevitatis studiô, exponemus.

CAP. II.

De Intellectu.

§ I.

Intellectum vocamus eam nostri facultatem, quâ mens secum quasi habitans, sibique intendens, quod cujusque rei (captus finiti modulum non excedentis) verum est, evidenter cognoscit.

E x p l.

1. Quando Intellectûs est, homini hoc illud agere destinanti facem præferre, prima hîc cura sit, istuc ipsum *intelligere quid sit*, intelligas.

2. Mentem secum quasi habitare, se solâ occupatam, quando *intelligit*, intelligentes utique experi-

mur;

mur: Siquidem considerentibus sensuum atque affectuum turbis felicissimè demùm suum facit officium Intellectus. Unde rectè Cicero, *Magni*, inquit, *esse ingenii, revocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere.* Nec temerè intelligere quasi *intra* vel *intus legere*, dictum est.

Tusc. 1.

3. Nobis igitur non probantur Scholæ placita, quibus mens, quoties intelligere quid parat, ad sensûs quà interioris, quà exterioris commercium revocata, species rerum per sensoria immissas captare jubetur: è quibus deinceps *species*, quas vocant, *intelligibiles*, velut instrumenta, arti suæ exercendæ idonea, procudat. Unde natum tralatitium illud, *Nihil est in intellectu, quin idem priùs fuerit in sensu.* Id quod Modernorum plurimi falsitatis revicerunt, quos, ne actum agamus, super hoc argumento consuli velim. Hoc saltem observâsse juvabit, ista Scholæ philosophemata in re Ethica ferri non posse. 1. Quia ipsam Deum cognoscendi viam intercludunt. Gentiles, teste Apostolo, *etsi quod cognoscitur Dei manifestum esset in ipsis, Deo id ipsis* intra animum notione insita & rebus factis *notificante, non tanti fecere Deum habere in agnitione.* Atqui nulla Dei species, quæ sensibus hauriatur, nihil usquam rerum creatarum Dei simile, quod Deum sensui repræsentet, deprehenditur. Certè quidem creaturæ, sensibus expositæ, vestigiis, potentiæ, sapientiæ, bonitatisque divinæ impressis, suo quæque locô & modô prædicant Deum suî opificem, sed *rovῶs*, beneficiôque luminis intelligentiæ & notionis anticipatæ prudenter animadvertenti. Triplicem Natura duce viam patere volunt Philosophi, quâ ratiocinando itur ad Deum; *viam*, quam vocant, *Causalitatis*; *viam Eminentiæ*, & *viam Negationis*. Hæc quidem vera nulli diffitemur, sed absque notione illa Numinis anticipata foret, cæco via prædicaretur. Id quod singula paulò penitiùs consideranti patebit. 2. Quia intelligi nequit, quomodo

Rom. 1: 19, 28.

Job. 12: 7, 8, 9. Psalm. 19: 2. Rom. 1: 20.

do res corporeæ menti, cujus infra dignitatem tantô subsidunt intervallô, lumen intelligentiæ ullum ministrare possint, à sensuum judicio, quippe qui veram boni malive rationem assequi non valent, nec dependendum, nec fide eorundem in dijudicatione boni malive standum est. Atqui eò aurigatur doctrina Scholæ, quam hîc notamus, ut mentem ab eo, qui unus nobis *Doctor*, *Bonum* atque *Finis* esse debet, aversam, servituti sensuum atque rerum corporearum ab ipsa usque nativitate plus satis mancipatam, etiamnum magis innodet.

4. Ut ad reliqua propositæ definitionis explananda pergamus, Intellectum *quid cujusque rei verum sit cognoscere* dicimus: quia quod in falso percipit, id verum est, puta verè falsum: quemadmodum quod in bono & malo morali cognoscit, idem verè tale est. Verum porrò *evidenter cognoscit*, quando non solùm *clarè*, ut menti attendenti præsens sit; verùm etiam *distinctè* apprehendit, ita quidem, ut quid rei cuique conveniat, quô rursum ab alia quavis re differat, menti innotescat: id quod Intellectûs proprium est.

5. Nec temerè additum illud; *cujusque rei, captus finiti modulum non excedentis*. Identidem meminisse profuerit, intellectum nobis esse finitum: ne nos vel infinita perscrutari, cogitationeque complecti posse præsumamus. Quo casu multi nullo successu, pessimô exemplô, curiositatem fatigant, conditionis suæ obliti veriùs, quàm ignari, intellectumque suum mensuram rerum constituunt, gravissimô sanè damnô in religionem pariter & morum disciplinam, redundante. Neve ingenii viribus nimiopere freti pluribus simul, iisque diversissimis studiis intellectum occupemus, vix alio laboris inconsulti proventû, quàm inevitabili rationis & judicii conturbatione, & pœnitendô temporis dispendio. Atque hæc de natura intellectûs dixisse sufficiat: à quibus sequentia collegisse usui erit.

§. 2.

§. 5

Cautè igitur, imprimis in re Ethica, observandum; multum interesse inter Intellectum & Imaginationem: ut qua facultate suâ quidvis pretiô æstimare volenti utendum sit, constet.

Expl.

Discrimen paucis sic teneto. 1. Mens imaginabunda ad corpus, in quo hospitatur, conversâ rem corpoream in imagine, definitam quantitatem, figuram, colorem &c. repræsentante; contuendam sibi sistit. Unde 2. Longè plura intellectus quam imaginatio assequitur. Exemplo sit globulus cereus forte tibi visus, cujus imago etiamnum menti inerrat: ceram, utut putes, vidisse te nego; intellexisse tantùm, inde constat, quia idem globulus igni admotus quicquid videras, duritiem nempe, quantitatis modum, figuram, deperdidit, cera, quæ fuerat, manente. Quando te dubitare dicis, num quæ prædico vera sint, intelligo utique, non imaginor, tuam dubitationem. Quæcunque igitur sit imaginandi dexteritas, quam certè Poëtis atque Pictoribus insignem esse oportet, ea nisi quæ sensus antè percepit, non attingit, ad ea, quæ corporeæ molis nihil habent, ineptissima. Unde idololatriam priùs mente, quàm opere committunt, qui idola & simulachra Dei fabricant. 3. Ejusdem porrò rei intelligentia omnibus est eadem: diversis enim diversimodè intelligentibus idem, unus duntaxat, vel nullus, intellexisse dicetur rem ex vero æstimanti. Atqui imaginatio pro ætate, sexu, vitæ instituto, ingenio & more gentico &c. mirum in modum variat in variis: hinc quæ Titio pulchra, Mævio sordent: quæ Gallo elegantissima, Hispano ridicula & stultitiæ insignia videbuntur; quod ve-

stium

ftium moduli, & alia fœcundæ imaginationis inventa probant. Unde conficitur, etiam in dijudicatione veri boni malique imaginationem folam in confilium adhibendam non effe. Habent peccata, habent feculi commoda, unde fe voluptati commendent & imaginationem fpecie pulchra vehementer everberent: fed incautos hic falli, quàm verò eft proclive?

§. 3.

Mens fibi ipfi intendens quod verum eft cognofcit ex ideis quas vocant, five notionibus cùm rerum quarumlibet, tùm maximè Dei, honefti, jufti, atque decori, infitis.

E x p l.

1. Ideam appellamus illam cogitandi formam, quâ mens præfente & perceptâ non folùm confcia fit, fe rem qualemcunque cogitare, fed etiam rei ejusdem attributa indidem evidenter deducere, ab aliis difcernere, & definitione exprimere poteft. Ideas porrò menti innatas putamus, quo fenfu congenitum dicitur, quod fcimus vel poffumus, non docti, fed facti, non inftituti, fed imbuti.

2. Menti noftræ *notionem Dei* pariter atque *honefti & decori* infitam Ratio & Experientia comprobant. I. Abfque illa foret, ex quocunque rerum creatarum contemplatu ne vel leviffima quidem Numinis fufpicio nobis oboriri potuiffet unquam, quia ne minimam quidem de eo cogitationem animô formare, neque adeò præcepta, quibus Scriptura S. virtutis ftudium & vitii fugam nobis inculcat, intelligere poffemus. II. Apoftolus intellectum, honefti & decori notitiâ inftructum, *opus legis cordibus infcriptum* dicit. Quemadmodum enim in- Rom. 2. 15.

tellectus rerum naturalium ideis informatus divini intellectus quidam est ectypus, quatenus res concipit, quales Deus, omnis veri author & exemplar, eas esse voluit, haud dubiè, aliam si rebus naturam & indolem esse voluisset, alium quoque intellectum, rerum indoli attemperatum, homini impertiturus. Sic intellectus τοῦ καθήκοντος, *ejus quod decet*, honesti, justi &c. notitiam habens ingeneratam, æternæ legis exemplum quoddam, & divinæ veritatis sanctitatisque ἀποσκίασμα est. Quo sensu Epicharmus dixit

Ὁ δέ γ' τ' ἀνθρώπῳ λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ Θεοῦ λόγου.
Et Dei à ratione ratio nascitur mortalium.

III. Unde egregia benè multa de virtutibus & vitiis apud Philosophos gentiles? plurima de æquitate legum condendarum, de Republ. prudenter constituenda feliciterque moderanda, de judiciis agendis, & id genus aliis apud JCtos Rom. antiquitùs prodita? Unde, quòd societatem inituri, fœdera pacturi, munia adituri, testimonium dicturi &c. jurare soliti, *nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando arctius* & sanctius arbitrati? Unde conscientiæ vis, quam nec pessimi tyranni, ut maximè vellent, intra se extinguere potuere? quod testantur illa, quæ Suetonius de Epistola Tiberii ad Sena-
Tiber. 66. 67. tum conscripta refert; *Postremò*, inquit, *semet ipse pertæsus talis epistolæ principio tantùm non summam malorum suorum professus est; Quid scribam vobis, P. C. aut quomodo scribam, aut quid omninò non scribam, hoc tempore? Dii me, Deæque pejùs perdant, quàm quotidie perire sentio, si scio.* Quâ recitatâ ad-
Annal. 6. dit Tacitus; *Adeò facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustrà præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis*

malis consultis, *animus dilaceretur*. Nimirum *hoc opus est legis, scriptum in cordibus hominum*, *contestificante ipsorum conscientia*, *& cogitationibus invicem accusantibus*, *vel etiam defendentibus*. Hæc est illa divinæ disciplinæ efficacia, quâ peccatores velut injectô frænô intra rationis gyrum coërcetur, sua cæteroqui sponte in omne scelus & mentem nihil pensi habentem illicò se projecturos. Unde Deum *τὸν παιδεύοντα τὰ ἔθνη*, *gentes quasi disciplinæ frænô adstringentem*, divina celebrant oracula. Rom. 2: 15. Psalm. 94: 10.

3. Menti sua quasi penetralia excutienti succurrit *Idea* sive *notio* Numinis, cum qua inviolabili nexu conjunctam reperit *honesti* atque *decori* notitiam, ubi vel mediocrem commeditandis tanti momenti rebus attentionem afferre velit. Quanquam & id fatear esse verissimum, tantam esse hominis peccatô corrupti ignaviam, ut nisi fide, vel S. Literarum traditione excitatus, ne quidem quæ luminis naturæ sunt, velut, *existere Deum*; *universi conditorem* &c. *Animam esse immortalem*; *honestum naturâ discrepare turpi* &c. quantum satis est percipiat, nec quæ illis veritatibus eruendis & defendendis argumenta suggerit inspectio sive mentis humanæ, sive mundi aspectabilis, utiliter animadvertat. Unde Apostolus, *fide*, inquit, *animadvertimus*, *aptata esse secula verbô Dei*. Et Theologia, tametsi quæstionem de *existentia Dei* Philosopho relinquat, Deô Israelis è Scriptura Sacra, Theologiæ principio unico, veram divinitatem asseruisse satis habens; nihilominùs demonstrandæ veritati viam pandit: *quoniam quòd Dei cognosci potest*, *manifestum est in iis*, *Deus enim ipsis manifestavit*. *Nam invisibilia ipsius* &c. Ubi Apostolum videmus Philosopho ducem atque authorem, ut primùm quidem ex *notionibus*, quibus mens est inscripta à Conditore suo; deinde è *rebus Universi*, haud oscitanter inspectis, argumentetur. Quotquot igitur è nuperis feliciter de *Deo*, *mente humana*, *ejusque à corpore distinctione* &c. philoso- Heb. 11: 3. Rom. 1: 19. 20.

phati verum ex tetris longæ caliginis umbris erue-runt, hactenus rationis ductum secuti sunt, sed viam ingressi aliunde præmonstratam. Quod microscopio atomos intuentibus usu venit; minimæ enim, quæ attentos oculos penè fugiebant, minutiæ hujus instrumenti beneficiô in justam aspectui molem excrescunt, ut videri jam in iis, alioqui nunquam videndæ, partes variæ, varii colores, anguli, sinus, tubera, facilè queant: sed cùm ita microscopium adhibuerunt, eô paulisper sepositô, solis jam oculis notant atque designant, quæ nisi primùm ope illius instrumenti vidissent, nunquam visuri fuerant. Idem Philosophis nostris usu venisse nullus dubito; verbum Dei erat ipsis tubus Opticus, quæ non nisi ope ejus videnda viderunt, etiam eô sepositô vident, abstrusasque antea *boni* malique notiones colligunt.

4. Cogitanti de Deo obversatur notio *Entis infinitè perfecti*, quam fingendi pro arbitratu, vel refingendi ac immutandi potestatem homini nullam esse, penitissimus conscientiæ sensus testatur.

5. Illam notionem si non oscitanter contempler, Deum mentem perfectissimam, infinitæ vitæ, pollentiæ, scientiæ, bonitatis &c. atque ideò necessariò existere, se solô beatum, sibi sufficientem: neque quicquam præter ipsum esse posse, nisi quod ipse esse velit; neque velle, nisi quod virtutes ejus testatas facere possit, intelligo.

6. Proinde res quasvis alias unà mecum non necessariò existere, sed à Deo non inevitabili naturæ ipsius necessitate, sed liberrimô voluntatis placitô productas originem sui habere deprehendo. Unde quæ gloria est omnia creavisse, creataque conservare, illi uni deberi agnosco, imperiumque in universa & singula absolutissimum illi uni assero.

7. Porro cùm alia creationis causa, quàm *Efficiens*, quæ Deus est, inveniri nequeat, alium quoque *finem* rerum creatarum, ipsiusque adeò hominis,

nis, nisi Deum, haberi repugnat. Quis enim nisi qui naturâ summus, nullique rei obnoxius est, omnia ad se referat? Aut quò demùm creata quæque tenderent, nisi ad eum, cui quicquid sui habent, accepto ferunt? *Finem* verò puta non *indigentia*; quid enim hominis profit infinitè perfecto, beatissimo? Sed *assimilationis*, eo quidem sensu, ut quem homo habet authorem existentiæ, eundem habeat exemplar vitæ ejusque ad gloriam esse studeat.

8. Insuper ad istam summæ perfectionis ideam, velut regulam, examinans creata quæque, varios perfectionum limites atque defectus in illis detego: etsi rursus suô quæque locô opificis gloriam non obiter inspicienti ingerant. Undenam verò creatis multa deesse judicarem, nisi perfectius quid illis notione Numinis antecepta præcognoscerem? Hinc ideò quæcunque menti circumspicienti præter Deum occurrunt, talia comperio, quæ appetitum, quem ad infinitum quid ferri persentisco, satiare non valeant.

9. Ut Deum infinitæ perfectionis suæ amore *beatum*; sic veritatis omnis, cujus ipse fons unicus est & exemplar, amore *sanctum* intelligo: quidni enim, quæ Deus de se vera intelligit, eadem etiam velit & amet, ita quidem, ut illum amorem veritatis nec verbis nec factis dissimulare aut abnegare, neque adeò se alium, atque est, præbere possit? Unde & veracitas in sermone, rectitudo in omni actione, & *dikaiokrisia justitia in judicio, quod secundùm veritatem est*, consurgunt. Rom. 2: 2.

10. Quando denique meipsum talem à Deo factum comperio, qui omnia hæcce verissima intelligere, eorumque cognitione & amore perfici, veramque ad felicitatem proficere possim atque debeam: imò verò hominem præ cunctis inanimatis & brutis egregia rationis dote instructum video, ut esset, qui Deo creationis gloriam atque dominii jus Esai. 42: 3.

in omnia asserere, ejusque virtutes ex operibus, velut *invisibilium spectaculis*, undiquaque collucentes recognoscere, prædicare, Deumque ut finem suum atque Bonum quô par est studiô quærere, quæsitoque frui posset; jam etiam qua conditione me natum & huc extrusum voluerit Sapientissimus, Potentissimus, Sanctissimus, Optimusque ille meî Conditor, haud obscurè nôvi.

11. Atque ex his cultus divini necessitas plus satis apparet. Cùm enim Deus qui colatur omni modo dignissimus; tùm verò homo talis cognoscitur, qui opis divinæ continenter indigus, & felicitatis in Deo consequendæ non exspes, ipsum colere possit atque debeat, nisi suapte culpâ malus factus peccato servire mallet.

12. Præterea cognitô, Deum esse *finem* atque *bonum* hominis, eundem quoque *ordinis*, qui finis atque boni consecutionem juvet, authorem quidni agnoscam? Inde honorem atque obsequium deberi intelligo cùm iis, per quos Deo sic providente vitam bonorumque usuram accepi; tùm illis, quibus patentes mei inita societate civili potestatis suæ partem, ut commodè & tranquillè viveremus singuli, tradiderè.

13. Dehinc cùm Deus alios juxta me homines esse voluerit, meî similes, ejusdem carnis & sanguinis participes, quos eundem unà mecum intendere finem, idem quærere bonum, ejusdem Creatoris ad gloriam vivere oportet: meum esse intelligo, Societatem cum aliis colere religiosam & civilem, nec non quæ illi conservandæ idonea sunt facere, quæ verò turbant ac interrumpunt eandem, cautè vitare. Quem in finem etiam datus est homini sermonis usus, jungendæ colendæque societati adminiculum necessarium: ut saltem quæ quisque habet commoda vel incommoda cum aliis communicet, gaudiô atque mœrore naturaliter testem requirentibus. Ergò me quoque eô obligari sentio, ut quo jure ipsemet

met frui velim, alterum quemvis eôdem gaudere patiar: quinimò quem mihi adjumento fore exoptem, vicissim eidem paria cupienti referam: ut quem finem intendere, quodque bonum quærere tenentur universi, imperturbata tranquillitate consequi, Deumque, communem Dominum, inoffensa pietate glorificare queant singuli.

14. Hic non intempestivum fuerit inquirere, quas instruendæ morum disciplinæ regulas & obligationes, quibus quisque sui respectu Deo debitor sit, ex propiore nostri inspectione, intellectu facem præferente, eruere possimus. Homo mente & corpore, arctissimo fœdere unitis, constat. *Mentem* quàm *animam* appellare malo potiorem nostri partem, etsi Latinis paulò aliter id nominis usurpetur: ne fraudi sit ambiguitas vocabuli *anima*. Quicquid autem meæ *mentis* nôvi, *cogitatio* & *cogitandi modus* est. Haud abs re ergò eam definio *substantiam cogitantem*, atque adeò omnium suarum actionum passionumque penitissimè consciam: ut quærentem, quid cogitare, quid velle, quid alia id genus oppidò multa sint, ferre non possim, quando fieri nequit, quin qui scio, & scire me, & quid istuc ipsum *scire* sit, quàm optimè sciam. Quidni verò ad mentis meæ essentiam pertinere velim id, absque quo foret, ego de me ne quidem quæstiunculam, *quid rei sum?* formare quirem? Imò omnem hic intelligentiæ vim intendam, mentem quidvis potiùs, quàm cogitantem esse, tantisper fictarus. Atqui sanè ineptus sum: priùs enim, ita velim nolim, eam cogitantem deprehendo, quàm quidlibet aliud esse finxero. Contendam, quantum valeo, ut cogitationem à mente divellam: qui verò id rursum nisi cogitando præstem? Fingam etiam, me ad cogitandi quietem vel lautissimis invitari largitionibus, vel sævissimis impelli minis. Atqui tantum abesse intelligo, ut quod imperatur effectum dare queam, ut quò magis hujusmodi oratio meum pertentat animum, hôc

 eum

eum ampliùs ad cogitandum everberet. Quamnam demùm pertinacis istius cogitandi constantiæ causam afferam veriorem, nisi quia sic est mentis ingenium, ut cogitandi non magis faciat finem, atque vivendi. *Qui animam vivere fatentur, illamque simul omni sensu spoliant, prorsus animam fingunt, quæ nihil animæ habeat, aut animam ipsam à seipsa avellunt, cùm ejus natura, sine qua consistere ullò modò nequit, sit moveri, sentire, vigere, intelligere, atque (ut ait Tertull.) animæ anima sensus sit.*

Calv. in Psychop. pag. 391.

15. Atque hæc *mentis* me docent *immortalitatem*, cujus fides in re Ethica maximum habet momentum. Ut enim opinio de corruptibilitate mentis omnem Religionem evertit, mores corrumpit, ingenium vastat, & quæ merces est pudoris ἀξίαν, animum alternante cupiditatum & conscientiæ angorum æstu divexat: ita fides immortalitatis inter fundamenta Religionis & Moralitatis connumeranda est, atque adeò per universam morum disciplinam usus præstat insignes. Eam verò mihi persuadent allata, quæ mentem à corpore plus totò cœlò differre evincunt: modò caveam, ne *corpori* quicquam præter *extensionem*, & quod eam infert; *menti* præter cogitationem, & quod ejus quid includit, inesse vel deberi putem. Inde demùm fieri intelligam, ut quando neutri cum altero communionis quicquam per naturam intercedit, *corpori* pessum eunti mens superstes vivat, nec teli ictum, nec veneni, morbi ve vim funestam, nec præcipitem fatiscentis ædificii ruinam &c. formidans; quibus quidem mentem interfici, absurdius videbitur attendenti, quàm solnum fuco superillitum extingui. Quòd si animum subeat suspicio, *mentem*, etsi fortunæ casibus & hominum injuriis, minimè obnoxiam, nihilominùs intereuntis corporis ruinâ involvi; atque esse desinere, ea fortè conditam lege, ut nisi ad tempus non existeret: Succurrat illicò; Atqui *velle* Conditorem, ut mens animali supervivat, nullô apparet indiciô: velle

Obj.

R.

velle verò, comprobat conscientia, præsertim si Deum de opere suo testem audire velit in S. Scriptura. Homo quippe talem se factum (neque per decentiam bonitatemque Dei aliter condi potuisse) comperit, qui naturæ ductu bonum æternum durabile appetat, quæratque desideriô invincibili pariter & cruciabili, quod frustrari alienum est à Conditore Optimo, qui *frustrà quæri velle*, negat. Sanctitas quoque & Justitia Conditoris strictim postulant, ut se ostendat timendum, atque adeò talem, quem insuper habuisse malorum sit maximum, quod ipse, ceu gloriæ suæ Zelotes, qui nullô pactô peccatori similis videri, odiumque peccati dissimulare, nedum abnegare possit, velitve, æterni judicii pœnis retaliet. Unde Servator noster, cùm *animam occidere* hominibus negatum dixisset, *Deum potiùs timendum*, monet, *qui animam & corpus perdere potest in gehenna*. Ubi in posteriori colo de industria posuisse videtur verbum *perdere*, cruciatus significationem habens, authoribus etiam profanis de tristissimo illo improborum supplicio usurpatum, quod sentiunt, quoties omnibus arcanis evolutis, sua in quemque conscientia furialibus quasi facibus armatur.

Esai.45. 19.

Matth. 10. 28.

16. Corpus circumfero organicum, vivum, fœdere tàm arcto mihi junctum, ut non solùm hospes ejus mihi videar, verùm id ipsum, quasi alteram mei partem familiarissimè amplectar. Ejus beneficiô Mundi incola & velut in scena spectator (an & actor? inquiram, ubi erit opportunius) plurima video, audio &c. quæ tanta varietate, quam cogitatione complecti, verbisque consequi frustrà coner, sensibus meis sese ingerunt. Quô autem pactô hocce in hospitium fuerim intromissus, si quæram, hæreo, non habens, quod dicam, nisi, *nescio modum*. Quæ mei inspectio mox me docuit, mentem, genere quippe toto à corpore diversam, nullo seminali traduce corporis è situ productam,

solum

solum *Patrem Spirituum* suî agnoscere Conditorem, abundè comprobant. Nullo etiam provisu meo, consiliô vel ope corpus hoc tam admirabili organorum apparatu & artificio, quod non jam ego anatomes imperitus, sed ne quidem peritissimus quisque satis assequi valeat, exstructum mihique aptatum fuisse, locupletissima testis est conscientia, quam nulla mea stultitia refellere potest unquàm. Quibus sim parentibus, Deo sic providente, natus, scio: pariter verò & illud mihi perspectum, hominem genitorem, etsi fortè occasionem corpori formando dedisse, corpus tamen ipsum finxisse, non magis dici posse, quàm qui agrum consevit, fruges, flores &c. progenerâsse perhibetur. Non igitur huc meô veni arbitriô, neque, num hic hospitari luberet, interrogatus ab eo, qui me tantisper morari jussit: ignarum, nedum voluntarium, me Deus
Obj. huc exegit, donec revocet, manere jussum. Atqui ut corpus quidem organicum non meæ artis sit opus, fortè tamen, quòd animæ junctum vivit, id mei muneris habet, *animam* enim Vulgus *animare* dicit.
℞. Id si verum est, quî fit, ut quâ vivat ratione, alescat, augescat &c. prorsus ignorem? quâ demùm necessitate totus motusque corporis, in quibus vita consistit animalis, cum cogitatione, quæ vita mentis est, cohæret? Cur invitus, quæ mea vernilitas est, revocante Domino, hospitium hocce desero, haud dubiè, si mentis sit vitam largiri corpori, longiorem moram tracturus?

17. Verùm ego *Mens* non tantùm corporis hospes sum, sed & corpus *alterum* velut *dimidium mei* amplector. Nimirum mens & corpus adstrictissimo eoque imperscrutabili nexu, copulantur, ut non jam diversissima *duo*, sed *unum quiddam* videri queant. Nexus iste, quantum ratione assequi datur, nihil aliud est, quàm actionum & passionum mentem inter & corpus perpetua quædam vicissitudo, qua corpore tenus factæ impressiones menti, & vi-

& vicissim placita mentis corpori, suô quæque modô communicentur. Verùm quô pactô talis inter mentem & corpus, substantias totô cœlô diversas, fieri possit reciprocatio, *Oedipo opus conjectore est, qui Sphyngi interpres fuit.* Nil equidem perinde sentio, atque familiarissimam illam mentis cum corpore communionem, ast quod ego demirari satis nequeo, quò illi intelligendæ pertinaciùs intendo, hoc illa me fugit magis, evidentissimô imperrvestigabilis *Omniparentis potentiæ* argumentô. Proinde & hic lubens fatebor, nihil consilii opisve meæ intervenisse, nihilque nisi culpam ad nexus istius solutionem conferre me posse. Quæ enim nisi divinâ potentiâ conjungi non possunt, virtute creata sejungi nequeunt. Rupta quidem corporis compage mens vinculis suis exsoluta migrat, id verò ut fiat, lex est conditoris. Quicquid prætereà non tantùm in meo corpore, sed etiam in universô corporum ambitu mutationis accidit quotidie, certis motuum legibus, quæ totidem divinæ voluntatis placita sunt, innexum est. Unde consequitur, neque mentem à corpore divelli, neque machinam corporis utut subtilissimo stamine contextam, & infinita prope clarterum vasorumque exilium varietate coagmentatam, destrui posse, nisi Deo volente; neque sine culpa mea tàm brevem mihi incolatum fuisse futurum. Nisi enim peccatum infaustô partu Mundo illatum, Deo justitiam suam asserente, omni quasi naturæ adversum nos ministraret arma, quidquid nunc rebus humanis inimicum experimur, suas nequicquam vires nostram in vitam tentaret: *hinc* enim *illæ lachrymæ!* hinc nos malæ fidei villici, è fundo, qui unus tantopere nobis ridet, ejicimur? Cur alioqui Deus operis, quod *omnium miraculorum maximum* haud immeritò dixit ille Veterum, destructione delectaretur?

18. Tandem inquirenti, quid illud sit, quô ad sensorium appellente Objecta quæque suî sensum

sive

sive gratum sive molestum ingerant, non succurrit, nisi impressio vel motus, quem filamenta nervorum ad intimos cerebri recessus convehunt. Quid verò similitudinis motui materiæ minutissimæ, qualis, exempli causâ, in aëre, quô *sonus*; in exhalatione, quâ *odor*; in radio solari, quô *lumen & color* ad sensoria deferri creduntur; cum perceptione, quæ horum occasione in mente cooritur? Quid similitudinis motui, quô nervorum fibræ, vulnere inflicto, laxantur vel rumpuntur, cum gravi dolore, quô mens cœpte momentô afficitur? Quid similitudinis in cibo qui palato sapere vel gustum offendere dicitur, cum sensu voluptatis vel tædii? cibi quidem ore assumpti, dentibus comminuti, salivâque macerati particulis multiformibus & in motum concitatis linguæ atque palati nervos & spiritum animalem inexplicabili varietate vibrari agitarique posse intelligo: quâ verò necessitate dicam ex ista nervorum concussione & spiritûs animalis concitatione illicò in mente existere hanc illam, cogitationem, sensum, affectum? quid demùm in corpore ejusque motu qualicumque, quod mentem contingere, ullôve modô afficere queat? Et hîc hæreo, quod dicam non habens, nisi, *sic placuit Conditori*, mentem & corpus iis adunare legibus, ut hos, illos, in corpore motus continenter excipiant in mente cogitationes & sensus, quibus mens de bono vel malo, quod corpori prodesse vel nocere queat commonefacta etiam, quæ saluti sint toti homini maturè provideat. Unde concludo, absque voluntate Dei fit, nihil usquam rerum corporearum nobis commodo vel damno fore; imò nullam corporis carnificinam quamlibet exquisitam menti dolorem illaturam esse. Ut adeò mentis & corporis unio in homine invictum providentiæ divinæ circa hominis actiones & passiones sit argumentum.

19. E dictis plurima Virtutis præcepta colligere licet: quorum nonnulla enotâsse juvabit.

1. *Animæ, cùm nostri sit pars,* quæ pretium corpore majus habet, *potissima cura esto. Studio igitur veræ sapientiæ, quò unò mens quasi alescit, nihil prævertendum.*

2. *Immortalis cùm sit anima, mortale ne sit quod optat.*

3. *Præ omni custodiendo custodi cor tuum &c. Prov.* 4. 23. Tales cùm simus facti, quibus nulla est cogitandi quies, cogitationem verò omnem necesse sit esse vel rectam vel pravam, bonam vel malam, plurimùm nostrâ refert animum nobis firmô muniri præsidiô, ne suggestionum & affectuum fraudibus sit opportunus: circumspectè cavendum, ne infrænis prava machinandi libido mentem incessat, neve, quod ei familiare, sine fine modoque eam vagari, nedum nihili rerum curis distringi, voluptates architectari, falso-bonorum præstigiis & umbris oblectari patiamur. Cogitet quia cogitandi nescit finem, oportet, amet &c. sed solida, sed se digna, sed æternùm duratura: agitet

——— *Quod magis ad se*
Pertinet & nescire malum est.

3. *Deum in omnibus benefactorem amemus, & ubique judicem conscientiæque legislatorem, qui solus mentem punire & male afficere possit, vereamur.*

4. *Rebus corporeis, unde commodi quicquam ad nos redit per sensum & affectum, non fruendum, sed utendum est, cum gratiarum actione in ordine ad Deum, & ad gloriam ejus, qui eas usui nostro subjecit.* Crimen est inexcusabile, *comedere panem & Deum non invocare. Psalm.* 14. 4.

5. Persuasi, nihil nos nostrî habere præter culpam, cur turbamus discrimen, quod inter nostra & aliena esse voluit Summus ille rerum Dominus & arbiter? *Ne ergo velimus, ubi nihil valemus.*

6. A Deo ejusque Providentia toti pendemus, *animam, corpus, vitam* annexa quasi *precarii clausulâ*, totum adeoque hoc; *nos esse homines*, ab ipso nacti:

nacti: *nos igitur deseremus, totos nos Deo mancipaturi.*

7. Ex tribus istis, *huc*, *hic*, *hinc*, longa satis obligationum quæ me tenent, series dependet. Si enim considerem, *huc* me venisse, *hic* esse, *hinc* tandem abire; ergò 1. *Qualis qualis sit fortunæ vultus, cavebo, ne unquam eò deveniam dementiæ atque impotentiæ, ut me natum esse, eâque viâ in mundum venisse pœniteat.* Non censebo igitur cum illis, qui cæteroquin populo, quòd aliter atque ipse & splendidiùs insanierint, sapientes visi fuere; *optimum esse, non nasci: proximum huic quamprimùm ad mortem ire.* Imò natum me esse optimum arbitrabor, quia id Optimus voluit. Ad mortem ire me seriùs, ocyùs, non interest, tùm optimum futurum, ubi Optimus ire me voluerit. 2. *Meum est, cùm me Deus evocat è vivis, non tergiversari:* qui enim tardè fecit servus, diu noluit: *sed præsto esse promptum ac alacrem: imò ne quidem conscientiâ rei hic malè gestæ cunctabundum restitare:* servus enim, quem delicti conscientia remoratur, bis delinquit. 3. *Injussu summi Imperatoris de præsidio & statione vitæ non discedam.* Abitum meum utpote totum divini juris, quidni totum Deo, vitæ necisque Domino, submittam? 4. *Corpus meum cibô, potu, somnô, reficiam, famem, sitim, somnum, expectaturus, non luxu antecapturus, & ubi occupârint, iis quæ providentia Dei in promptu esse voluerit, profligaturus.* Quocirca & à manifestis vitæ periculis cavebo, remedia, ubi ubi opus, adhibiturus, opem aliorum imploraturus, si in aquam, in latrones, in morbum, in egestatem, & alia id genus vitæ discrimina incidero, ne stipem quidem rogare verecundia prohibebit. Quia enim Deus jubet vivere, donec evocet, ergò & edere: quod ubi per labores & studia non licet, ostiatim etiam, quod edam, corrogabo. Dura quidem hæc obligatio videbitur illis, qui se fronte tantùm & hominum moribus metiuntur, non qui legem Dei seipsis potiorem

tiorem ducunt. 5. *Eam vitæ conditionem & institutum amplectar, & amplexus, quod officii mei esse intellexero, diligenter faciam, ut suppetat, unde victitem ad Conditoris mei gloriam: neque tamen si malè elegero, quasi conditionem vitæ & vitam ipsam promiscuas habeam, mordicùs retinebo.* 6. *Multa faciam, plurima feram, ut vel institutum semel vitæ cursum perpetuò & æquabiliter servem, vel etiam mutem aliquando, & iter, ubi opus est, aliò deflectam. Memor, me totum pendere à Deo, agam, non quò mihi studeam, sed quò Deo pareum, non murmuraturus, si hoc, illud, petens, optatum non feram; hoc, illud, agens, exitu, quem præceperam animô, frustrer:* distinguam enim, quod mei esse officii ab eo, quod suo arbitrio reservatum vult Deus, qui jussit petere, non jussit impetrare: agere jussit, exitum mihi non injunxit. 7. Multa me onerant: *non verebor igitur animum subinde relaxare meum, ne perpetua contentione frangatur.* Sed ne errem, cautio est: *remitti volo, non ut quod turbat excutiam, & libertati, quam impensè nimis amo, consulam; sed ut mox intendi & muneri par esse queam,* Deo ad gloriam suam me vivere volente. 8. Tandem cùm *vitæ summa brevis spem nos vetet inchoare longam,* cur incertæ fugacisque vitæ oblitus *agenda suscipiam, quæ homines mori nescios & corpora secùs atque quidem nostra sunt, firmata requirunt? Numquid robur lapidum est robur meum, num caro mihi ænea?* Manebit alta mente repostum illud Servatoris; *Quid juvat quemquam totum lucrifecisse mundum, animâ verò suâ mulctari?* &c. quô pretiô satis idoneô redimet quod perdidit *animæ magnæ prodigus?* Job. 6. 12. Matth. 16. 26.

20. Sic fontem reclusimus *honesti, justi* atque *decori,* uberrimum, qui in omnem morum disciplinam longè latèque se diffundit. Ex principiis enim illis intellectualibus & regulis, quas Dei & nostri inspectio nos docet, virtus ejusque officia omnia demonstrari possunt, idque si sepositis præjudi-

judiciis & affectu nobis verum dici patiamur, haud minùs certò & perspicuè, quàm in Mathematicis ex definitionum, axiomatum, postulatorum & lemmatum apparatu Theorematum & Problematum demonstratio instrui solet.

21. Hinc adeò etiam liquet. 1. Esse aliquid *simpliciter & absolutè bonum, necessariò honestum, justum, decorum*, quod non demùm lege quapiam arbitraria tale haberi jubeatur, sed suâpte naturâ esse notificetur, ac proinde in singulis actionibus prosequendum sit. 2. Errore cæcatos esse, qui cum Carneade, Philosopho Academico, *justitiam non naturalem, sed ex utilitate natam* arbitrantur, secundùm illud Horatii;

Serm. l. 1. Sat. 3. *Atque ipsa utilitas justi propè mater & æqui.*

Juraque sibi homines utilitate sanxisse varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpè mutata. Enimverò ut nullus negem, societati ineundæ, jurique civili, quod cuique genti patrium est, condendo occasionem ex utilitate præsumpta natam esse; quò facit, quòd ipse Naturæ Author nos singulos atque infirmos, multarumque rerum ad vitam rectè ducendam indigentes nasci voluit, ut hôc ipsô magis ad societatem colendam raperemur: altiùs tamen juris & æqui, societatisque humanæ originem esse arcessendam hactenus edisserrata probant. Prorsus autem insaniunt, quorum animis Dei rerumque divinarum sensus usque adeò exolevit, ut nullo principatu in facultatibus humanis agnito, præsenti cuique passioni, quæ fortè fortuna impenium sibi arripuerit, obsequendum contendant, atque in hoc summam felicitatis humanæ versari statuant. Turpissimum illi suum errorem, si quâ pote, etiam è dictis dedoceri possunt. 3. Etsi lux illa, è tenebris emicans, sola ad benè beatéque vivendum minimè sufficiat, & ingenitum Rationis acumen *ad ea, quæ Spiritus Dei sunt*, adeò non valeat, ut in S. Literis nihili fiat, & mera caligo habeatur:

beatur: nihilominus liquet, etiamnum homini tantum superesse lucis, ut ignoranti, quæ ad vitæ honestatem pertinent, peccantique causandi locus non sit. Unde ignorantiâ *juris universalis* turpe factum excusari posse nemo non negat. Enimverò id nisi intra usum societatis forique humani admittatur verum, hominibus quàmlibet turpiter delinquentibus *invincibilis ignorantia* obtentui foret, unde Societatem utique mirum in modum turbari contingeret. Quid? quód malefactorum pœnitudo, pudor, remorsus, libertatisque in agendo conscientia peccatori causam dicere prohibent, omnemque ignorantiæ prætextum facilè præcidunt. Quapropter etiam Apostolus *manifestationem ejus quod Dei cognosci potest*, eò profecisse docet, ut Gentes essent *inexcusabiles*: & cùm Dei, quem ignorare non poterant, cultum insuper haberent, veritatemque in injustitia detinerent, eam socordiæ pœnam dedisse, ut *in mentem nihil pensi habentem* traderentur. Rom. 1. 20. 28.

§. 4.

Primum igitur locum atque principatum inter facultates mentis humanæ meritò obtinet Intellectus, præses atque viæ dux judicio, sensui, imaginationi, affectibus, actionibusque humanis datus.

Expl.

1. Intellectui subjiciendum esse judicium de rebus quæ facultatis ejus modum non excedunt, nemo equidem cum ratione negaverit, quando & rectè & malè judicata nisi ex intellectu sustineri vel refelli nequeunt.

2. Intellectum luce sive sua, sive mutuatitia prælucentem ducem atque rectorem damus sensuum atque animi motibus in studio sapientiæ & regimine vitæ, quemadmodum & Philosophi Intellectus au-

thoritatem aliquam ἡγεμονικὴν agnoscunt. Eò pertinet & illud Servatoris. *Lucerna corporis est oculus &c. Si lumen quod est in te tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Intellectus *verum bonum* cernens atque monstrans affectui, *oculus est simplex*, uni viæ, uni fini, uni bono &c. intentus: cujus ductum si sequantur motus & desideria animi, non capientur amore bonorum pereuntium: quo de Servator in præced. dixerat.

Matth. 6. 22. 23.

3. Id porrò ut fiat pernecessarium esse multa docent. Primùm quidem sensus & phantasia multa offerunt, quæ mentem *veri boni* cognitione destitutam jucunditatis specie inescare, affectum trahere & animum usque adeò exaugere solent, ut iis frui & acquiescere velis, tametsi intellectus, qui solus affulgente divinæ veritatis luce veram boni rationem assequitur, longè diversum dictitet; *Verum* nempe *Bonum* quod satiet, nec sensu inveniri, nec imaginatione repræsentari, nec affectu animali possideri posse: cætera verò quæ sensus nuntiant, bona quidem esse animalis vitæ conservationi, haud secùs ac sensus ipsi, destinata, sed habenda hactenus ut testimonia longanimitatis Dei, rudimenta amoris & argumenta bonitatis ejus, quod unicè ceu *bonum nostrum* quærendum amandumque est. Deinde ex sensu judicare quàm proclive nobis sit, nemo non experitur, unde facilis error & illusio. Verùm cùm idea cujusque rei in intellectu sit regula imaginis rei in sensu & phantasia, errores & vitia sensuum deprehendere atque corrigere intellectûs est. Unde verissimè Augustinus, *tantò*, inquit, *meliora esse judico, quæ oculis cerno, quantò pro sui natura viciniora sunt iis, quæ animô intelligo.* Sensûs autem & phantasiæ errores in rebus ad solam naturæ theoriam pertinentibus tolerari fortè possint: inexcusabiles verò sunt in rebus, quæ vitam & mores spectant, velut ubi de discrimine boni & mali agitur &c. quo casu mentem tantò vigilantiorem esse, vimque intelli-

De vera Relig. 63.

telligendi hôc ipso cautiùs & acriùs intendi necesse est, quò faciliùs sensuum blandimenta insequentibus affectuum illecebris menti imponere, & quò difficiliùs propriorum affectuum fraudes animadverti, & occultæ quas struunt, insidiæ præcaveri possunt. In eo intellectûs versari officium, vel inde constat, quòd ferè alienis in vitiis atque nævis censendis oculatiores & consultiores sumus quàm in propriis, suo quemque affectu occæcante. *Ajunt, homines plus in alieno negotio videre, quàm in suo. Hoc illis evenit, quos amor sui excæcat.* *Sen. Ep. 109.*

CAP. III.

De Voluntate, Judicio & Lib. Arbitrio.

§. 1.

Nunc alterum actionis moralis principium nobis est dicendum, nempe Voluntas, quæ est facultas vero percepto acquiescendi, & bonum agnitum prosequendi.

EXPL.

1. QUia judicium evidentem rei cognitionem ità pressè insequi solet, ut nullam cohibendæ assensionis libertatem nobis superesse sentiamus, *verum* non jam modò *apprehendere*, sed etiam *judicare* ejusdem intellectûs negotium esse facilè nobis persuademus: quanquam, si quod res est arbitrari velimus, distincta experiamur hæc tria; animo quid repræsentare per ideam, quod *intelligere* dicimus: ei intellecto acquiescere, deque eo statuere, affirmando vel negando, id quod judicium vocamus: in idem denique si conveniens videatur men-

rem quasi exporrigere, id eligere, & quantum pote nostrum facere, quod *Voluntatem* strictiore nominis significatu, vel *liberum arbitrium* appellamus.

2. Voluntatem igitur generatim acceptam in dijudicatione *veri*, & electione atque prosecutione *boni*, occupatam existimamus. Primum ergò spectandum hîc venit Judicium.

§. 2.

Judicium vocamus illam mentis acquiescentiam in percepta rerum attributorumque ratione mutua, qua quid rei cujusque verum, quid falsum sit apud se statuit, ibi quidem affirmando, hîc negando.

EXPL.

1. ID namque conscientiæ sensu constat, mentem mutuis rerum rationibus perspectis ita ad quietem redire, ut intellectum in rem cognoscendam intendere desinat. Unde quoties rationum pondere victi veritati cedimus, nos demonstratis acquiescere profitemur. Sunt qui Judicium definiunt; *naturalem mentis dexteritatem attendendi cohæsionem rerum.* Atqui intellectûs est, non tantùm rem quamlibet seorsim, verùm etiam rerum rationes percipere, quod tantò dexteriùs facit, quò plura circumspectionis & attentionis adminicula adhibuerit.

2. Ratio est habitudo rei ad rem &c. quæ vel *æqualitatis* est & *convenientiæ*; vel *inæqualitatis* & *disconvenientiæ*. Quod ibi est *affirmatio*, hîc est *negatio*. Unde patescit, quòd non nisi in judicio falsitas & error locum inveniat: quando nim. mens præproperè acquiescens qualicunque rerum perceptioni, quod negatum oportuit, affirmat, & vicissim &c. Si falsitas intellectum teneret, inexplicabilis & inevitabilis foret error, quando homini nulla facultas intellectu superior, quæ eum corrigere valeret,

con-

concessa est. Cautè verò hîc falsitatem ab ignorantia, insuperabili salutaria percipiendi ἀδυναμίᾳ, & aliis vitiis quæ plurima intellectum obsident naturâ, distingui oportet; qui malè intelligit, non intelligit, sed ignorat.

§. 3.

Judicium in Theoreticis Noëticum est vel Dianoëticum. In practicis simplex vel comparatum: utrobique eadem fermè judicandi ratione, sed diverso fine.

Judicium Noëticum & simplex est, quando exploratâ rem inter & rem, vel attributum quodcunque, convenientiæ seu inconvenientiæ ratione, affirmo verum, nego falsum.

Judicium Dianoëticum & Comparatum non jam in simplici collatione rei cum re, sed rationis cum ratione versatur.

Expl.

1. HÆc exemplis tantisper declaranda sunt. Judicium noëticum & simplex erit, quando perspectâ Telluris ad figuram sphæricam, virtutis ad amorem ratione, tellurem sphæricam affirmo, virtutem amandam decerno. Hîc adeò simplicem convenientiæ vel inconvenientiæ rationem attendo, qualis inter *Exponentes* proportionis Geometricæ intervenit.

2. Judicium Dianoëticum & Compar. erit exempli causâ, quum in Proportione Geometr. rationem primi termini ad secundum, hujusque ad tertium, tertii ve ad quartum: vel in triangulis analogis latus cum latere, basin cum basi; vel in syllogismo rationem majoris term. ad medium, cum ratione minoris ad eundem confero, unine tertio, ac consequenter inter se conveniant, nec ne, indagaturus. Similiter in *practicis* Judicium comparatum

erit, quando rationem virtutis ad amorem contendens cum ratione divitiarum ad eundem, animadversâ inæqualitatis ratione, virtutis amorem divitiarum studio præstare pronuntio. Quoties item comparata ratione actionis ad has, cum ratione ejusdem actionis ad alias circumstantias, hoc tempore, hôc locô &c. potiùs quàm aliô quôvis agendum decerno.

3. Quemadmodum verò in Theoreticis multiplex usu venit rationum compositio, unde in Mathesi *potestates quadratæ, cubicæ, biquadratæ &c.* sic in Practicis judicium comparatum suos veluti gradus habet pro varietate casuum, quibus mox pauciorum, mox complurium circumstantiarum rationes expendendæ concurrunt. Unde in Scholis *ultimum* & *non-ultimum* distingui, illudque *ultimum intellectûs practici dictamen* appellari, idemque an necessariò sequatur voluntas, quæri assolet.

4. Attentô denique, quô ad assentiendum permoveri solemus, argumentô, judicium aliud est in *scientia*, aliud in *opinione*, aliud in *fide*. Judicium in scientia nititur evidentiâ rei ex principiis & causis ejus cognitæ. De hac cautio Philosophis; *non assentiri nisi ita perceptis, ut assensum negare non possis, quin in animo exprobrantis conscientiæ remorsum sentias.* Cui regulæ non absimilis esto hæc in Ethicis; *nunquam pro bono vero & solido, in quo acquiescere velis, habeto, quod citra conscientiæ & cordis non ἀσυνετα & ἀπαντησομένα improperium, negligere possis.* Opinio est, quando rei verisimilitudine movemur ad assensum cum formidine contrarii. In rebus quidem ipsis nulla probabilitas est; quidlibet enim in se vel verum vel falsum est ἁπλῶς, probabile verò dicitur respectu intellectûs nostri, qui rei naturam penetrare non valens, possibilitatem ejus pro modulo suo sibi format: unde tritum illud; *In dubia fortè respondent sæpè periti.* Fidei denique firmamen est affirmantis vel testantis spectata authoritas.

§. 4.

Cohibitio assensus vel acquiescentiæ cum motu disquisitionis est dubitatio.

E x p l.

1. RE, quam sciri nostrâ referat, nondum compertâ judicium suspendimus, dum veritas penitiùs exploretur.

2. Duo hîc concurrunt, quorum neutrum sine altero dubitationem facit. Velut si duobus super facto quolibet contendentibus, uno affirmante, altero negante, ego utrumque audiens & intelligens inquirere omitto, uter verum dixerit, hactenus non dubito, etsi assensum neutri præbeam. Rursùs dum sollicitè disquiro, quis v. g. cædis in Titio patratæ sit author, nullô hucusque auditô testimoniô vel assertione, cui accedere nolim, non dubito: adeoque nec motus disquisitionis se solo dubitantem facit. Secus erit, si disquiram, Mævius an Sempronius cædis author sit.

3. Eam porrò nobis esse libertatem, quâ nî rerum evidentia assensum evincat, judicium suspendere possimus pro lubitu; nosque perperam vel præposterè judicare, quoties quid affirmamus aut negamus nondum perspectum, sua quemque conscientia docet: idque adeò verum, ut si cui super eadem re verba facere velis, illicò te memorem moniturum audias: quanquam ea libertate qui utantur, ut oportet, rarissimi sint. Judicare de re qualibet, nobis perquam proclive est, sive quòd ignorare videri turpe habetur; sive quia etiam ignota quæque, dummodò usu familiaria facta admirari desinamus, probè nobis comperta esse præsumimus. Enim verò & judicium suspendere, si rem pensitare nolis, inutile fuerit; quia errorem cavere vulgò non tanti fit, atque de re

qualibet judicare. Rem verò, quâ quidem digna est, attentione disquirere opus est nimiò plus laboriosum: saltem ea in re ponendum est tempus, quod perditum facilè sibi persuadet homo, quem nec voluptatis, nec vanæ gloriæ, nec commodi ullius ex isto labore percipiendi spes traxerit.

4. Nos, si quô veritatis virtutisque studiô tenemur, identidem meminerimus, assensum super re qualibet cohibendum esse, dum cautiùs & circumspectiùs exploremus eandem, quoad ejus fieri poterit. Id quod cumprimis utile in moralibus, quando quæ mores spectant plerumque cognitu difficiliora sunt cæteris, quæ sciri nostrâ minùs interest: quoniam sensus & affectus in commoda vitæ animalis intenti principiis *honesti*, quibus imbuta mens est, & ratiocintis caliginem offundunt, ac vix libertatem judicandi de rebus haud paulò minùs ad nos pertinentibus, saltem longè tutiùs neglectui habendis, relinquunt.

§. 5.

Voluntatem electione & prosecutione boni occupatam Liberum vocamus Arbitrium.

E x p l.

Sunt qui hæc distingui velint, *Libero arbitrio* in deliberandis, atque adeò *mediis* ad finem ordinandis: *Voluntati* verò in bono simpliciter spectato, & proinde in fine prosequendo, locum esse arbitrantes. Hos minùs rectè rem putare, ex tractandis fortè patefiet. Causa sic distinguendi inde nata videtur, quòd non tàm naturam voluntatis ipsius, quam libertatem attenderunt. Hinc adeò de libertate disputandi nec finem nec modum faciunt.

§. 6.

§. 6.

Liberum Arbitrium est facultas naturalis volendi bonum praeunte perceptione prosecutionis cum circumstantiis.

EXPL.

1. Liberum Arbitrium hîc loci in *genere Entis* ut facultatem, & principium actionis moralis, non attentô, benè an malè comparatum sit, consideramus; *facultatem* appellantes, ut ab *actu*; *naturalem*, ut ab *habitu* distinguamus.

2. *Velle* quid sit conscientiâ veriùs comperiri, quam verbis definiri potest. Voluntati verò proprium est velle *bonum*. Menti enim perpetuam & invincibilem in bonum propensionem insevit Creator Optimus, testimonio certô, eam primitùs ad *bonum suum* unum & verum, quod nisi Creator esse non potest, appetendum & quaerendum factam fuisse. Unde bonum quà tale nolle, & malum quà tale velle non potest. Malum igitur quoties vult, specie boni deluditur. Nec opus est addi, *Lib. Arb.* etiam esse facult. *aversandi malum*: cùm *nolle malum* sit *velle malum abesse*, quod ipsum boni rationem habet, verbô *nolle* vel *aversari* non actûs sed objecti negationem significante.

3. Ut velis necesse est percepisse rem ejusque prosecutionem cum circumstantiis. Sic demùm libera voluntatis actio differt cùm ab *instinctu* brutarum animantium, tùm ab affectu hominum insensatorum. Perceptio qualiscunque rerum etiam in sensu est: verùm perceptio prosecutionis cum circumstantiis solius intellectus negotium est.

4. Hinc adeò Lib. Arbitrium sive voluntatem strictiori sensu dictam, & ultimum Intellectus practici dictamen unum idemque esse putamus. Quid, quae-

quæso, interest inter *velle ambulare*, & *ultimò judicio practicò statuere, ambulationem hic & nunc esse suscipiendam, non differendam, nec omittendam?* An ne fieri potest, ut hîc & nunc ambulandum esse statuam, ambulare tamen nolim? Occasio distinguendi inde nata videtur, quòd ministeriô organorum corporis agere quid paranti opus est conatu aliquo in corpore ad motum componendo & excitando: hinc adeò voluntatis aliquod imperium præter ult. Intell. pract. dictamen intervenire putamus, eò quidem, ut voluntas judicium illud secuta, motum corpori exequendum imperet. Verùm si quæ mentis sunt, ab iis quæ in corpore fiunt, hôc similibusque casibus cautè attendere, & ut par est, discernere lubeat, patescet utique non necesse esse in mente quid fingi præter illius judicii practici continuationem. Quod si ultimum Intellectûs pract. dictamen imperare potest voluntati, quidni & inferiori facultati? An, quia Imperator Chiliarchis præest, militi gregario mandata dare non potest?

§. 7.

Voluntatis consideranda sunt, cùm Libertas, *tum* Imperium. *Libertas est non Ethica, sed Physica; non Indifferentiæ, sed spontis & lubentiæ.*

Expl.

1. Liberum vario dicitur significatu, quem brevitatis studiô evolvere omitto. Satis esto observâsse, quòd *Liber* aliquando oppositus *servo*, significet eum, qui Dominum atque superiorem non habens, quominùs agat vel omittat pro lubitu, lege nulla præpeditur: quæ *libertas Ethica* dicitur. Sic homo nunquam liber est, imò verò cum maximè liber est, servus est justitiæ. Rursus *liber* appellatur, qui suæ spontis est, nec instinctu naturæ

im-

impulsus, nedum coactus agens. Quo sensu voluntas semper libera est, cogi nescia. Velle igitur & sponte, lubenter, liberè, citra coactionem agere, idem significant.

2. Libertati proinde voluntatis non repugnant 1. Necessitas dependentiæ hominis à Deo, non solùm quod *ad jus*, legem puta homini dictam, verùm etiam quod *ad factum*, gubernationem scil. & providentiæ divinæ virtutem attinet: Apostolus, ceu naturâ notum asserit, *nos in Deo vivere, moveri & esse*. Act. 17: 28. Veritas hæc liquidissima est, dummodò altercandi, & quæ finitæ mentis captum excedunt conciliandi, pruritus absit. Interim Scholæ Sophismata objicienti reponere placet modestiam Philip. Melanchtonis, qui se ex Præceptore suo, Francisco Stadiano, audivisse dicit; *Contingentiam scio: Deum omnia gubernare scio. Quomodo ista inter se concilientur, non prorsus ita scio, ut omnibus difficultatibus possim satisfacere.* Numnam eò vergit ingenii humani pruritus, ut tandem Deum nobis comprehensibilem, & sublatâ ejus ineffabilitate minùs adorabilem existimemus? Vah protervìam! 2. Dependentia à perceptione mentis, judicio simplici, gratiæ Divinæ efficacia &c. Sic Titus *αὐθαίρετος propria voluntate* iter ad Corinthios suscepit, 2. Cor. 8: 16. 17. nihilominus id studii cordi ejus à Deo inditum fuisse testatur Apostolus. Imò verò, quò clariùs menti affulget veritatis lux, quò voluntas est fortior & expeditior, quò habitus certior, quò mens gratiæ cœlestis auxilio instructa sanior est, hôc liberior es. *Sanitas* enim *vera libertas est*, inquit Augustinus. 3. Nativa pravitas & servitus peccati. Voluntas enim peccati compedibus devincta nihilominùs libenter, atque adeò liberè peccat.

3. In *indifferentia, quâ positis omnibus ad agendum requisitis possis agere vel non agere, hoc vel illud agere;* libertatem voluntatis naturalem esse sitam pernega-

negamus. Qui secùs sentiunt, pejùs fortasse nequeant, hominem quippe, dum fingunt αὐϑαίρετον, facientes sacrilegum. Taceo quæ plurima vulgò adversùs hujus Idoli Sacerdotes argumenta allegari solent. Verissimum est illud maximi Communionis Romanæ Philosophi; *Neque enim opus est, me in utramque partem ferri posse, ut sim liber, sed contrà, quò magis in unam propendeo, sive quia rationem veri & boni in ea evidenter intelligo, sive quia Deus intima cogitationis meæ ita disponit, tantò liberiùs eam eligo. Nec sanè divina gratia, nec naturalis cognitio unquam imminuunt libertatem, sed potiùs augent & corroborant. Indifferentia autem illa, quam experior, cùm nulla me ratio in unam partem magis, quàm in alteram impellit, est infimus gradus libertatis, & nullam in ea perfectionem, sed tantummodo in cognitione defectum, sive negationem quandam* (etiam divinæ gratiæ sanctificantis) *testatur.*

Cartes. med. IV.

§. 8.

Imperium Voluntatis dicimus illam ejus potestatem, qua mentis facultates quasdam in usum suum intendere, & motus animales corporis, cui mens est juncta, pro lubitu determinare potest.

Expl.

1. Voluntati quandam esse potestatem Usûs in Intellectum, Phantasiam, memoriam, maximè verò in motum membrorum corporis, experimur, quoties ita volupe est. Volentes namque intellectu & imaginandi facultate utimur, rem quamque circumspectiùs pensitaturi: volentes in memoriam revocamus audita, visa &c. quorum vestigia ætas nondum obliteravit: intendimus oculos, arrigimus aures, movemus hæc, illa, membra, quia nobis ita visum est.

2. Quò

2. Quô pactô, quæ dixi, ad Voluntatis nutum tàm mira dexteritate procedant, id equidem mihi tàm obscurum est, quàm quod obscurissimum: quia leges fœderis, quó mens & corpus arctissimè sociata vivunt, perspectas non habeo. Imperium igitur illud sola Conditoris Sapientissimi, Potentissimi & Optimi voluntate stabilitum, certisque legibus sancitum est, voluntate humana & hîc ex se nihil valente. Quærant, quibus tantum à rebus suis est otii; *An mens intelligens ideas congenitas è suo quasi penore depromat? An facultatem eas procreandi acceperit? An Deus, in quo vivimus &c. intellectu-rienti immittat? An ne denique participando Rationem Universalem, æternam, indemutabilem, modò nobis incognito, mens intelligat?* Ideam hujus illiusve rei in mente mea suscitari, quoties ad meipsum reversus eam, qua debeo imperturbata attentione requiro, utique experior. Ast quomodo voluntati & attentioni meæ cum ista idea per naturam conveniat, quove nexu cohæreant, prorsus non video. Nihil igitur hîc meæ dexteritati arrogabo, sed quod Ratio & ipse pietatis sensus agnosci jubet, certum affirmabo; *Deum Spirituum omnis carnis, qui format spiritum hominis intra ipsum; Patrem illum luminum,* lucis intelligentiæ fontem esse perennem & unicum. Aut *quis ponit in præcordiis sapientiam? quis dat menti intelligentiam? An erudiens gentes, au,* inquam, *non arguet, qui addocet homines scientiam? Nonne afflatus Omnipotentis efficit eos intelligentes?* Rectissimè igitur Augustinus; *dic,* inquit, *quia tu tibi lumen non es.* Et alibi; *Humanis mentibus nulla interposita natura præsidet.* Et Lactantius; *Lumen mentis humanæ Deus est.*

Num. 16: 22.
Zach. 12: 1.
Jac. 1: 17.
Job. 38: 36.
Psalm. 94: 10.
Job. 32: 8.
Serm. 8. *de verb. Dom. & de ver. relig.* c. 55.
Ad Donat. de ira Dei.

3. Idem mihi de potestate voluntatis meæ asserendum video, si quid in membris corporis mei ad motum ciendis & applicandis valeat, pauló penitiùs inspicere velim. Corpus mihi junctum, quod inde mecum voco, variè quidem pro arbitratu meo mo-

movetur, membra volenti hactenus ad nutum obsequuntur: lingua titubat, cùm fari: brachia jactantur, cùm natare; pedes projiciuntur, cùm ire volo. Id verò quomodo fiat, perinde nescio, quàm quod maximè. Quâ igitur fronte dicam, id me facere, quod quô pactô fiat nescio? Memini equidem, me olim in auditorio Physico audire, motum è cerebro per nervos ope Spiritus animalis in artus influentis per membra in usum corporis variè dispensari, idque rationibus physicis & experimentis anatomicis aliquatenus mihi assecutus videor: nihilominùs sentio, me ista qualicunque cognitione in motu membrorum meorum minimè juvari; quinimò eam, si in usum vertere velim, obfuturam; quia æquè expeditè, aut fortè expeditiùs jam olim membra movi mea, cùm quâ ratione moverentur, totô me cœlô fugeret. Adhæc cur corpore laboribus fracto, membris paralysi correptis &c. nullus cietur motus, utut velim & tantundem ac cùm integer eram, ex parte mea contribuam? Nonne id mihi argumento est, quòd ego non faciam motum, nè tùm quidem, cùm etiam ad arbitrium meum membra moventur? Adde, quòd quæcunque demùm mentis humanæ sit perspicacia, necessitatis quâ motus membrorum consequitur voluntatem, ratio alia, quàm Voluntas Conditoris potentissimi, nequeat deprehendi. Hîc proinde tantùm velle possum, neque tamen sine Deo: & cùm volo, Deus motum illum hactenus impartitur, quem volo; non quia ego velim, sed quia ipse me volente motum illum cieri vult. Quemadmodum si pusio cunas, quibus est conditus, agitari velit, sæpè agitantur ipso volente, non tamen quia vult, sed quia mater vel nutrix assidens eas impellit.

4. Quòd si meæ partes hîc nullæ sint, multò minùs meo Marte quid extra me efficere, vel motum aliis impertiri valeo: quod etiam inde arguitur; quia etsi ad imperium voluntatis me subinde manus

sic

sic moveatur, ut eâdem operâ moveantur lapides aliqui digitorum uncis implexi, unde tandem certa strues, quam domum voco vel turrim, existit; tamen non perinde ad imperium voluntatis meæ aut sidera sursum deorsum, ultro citroque commeabunt, aut nubes cogentur, quæ sata perpluant, aut dispellentur, ne officiant apricanti &c. Deus ergò est, qui actionem meam extra me dimanantem animat, alioqui frustrà futuram; & actioni meæ terminos posuit, ultra quos eam proferre non constituit.

5. Rei nuper visæ, auditæ &c. memoriam recolere, eam ve animo præsentem sistere imaginando non magis meæ virtutis est, quàm ipsum *videre, audire*, &c. Ego nimirum Mundi spectator (actorem enim mihi nullâ satis idoneâ causâ me videri mox deprehendi) plurima video in hocce operum Dei theatro instructissimo: quî verò fit, ut videam? pronum mihi est respondere, quia oculos habeo. Quid verò id est, *oculos habere?* An pelliculas, membranulas, tunicas, certis liquoribus distentas, fibrarum & nervulorum plexibus, velut reticulato opere contextas, & artificiô nulla unquam arte satis indagandô conformatas? Atqui sanè nec liquores illi, nec tunicæ illæ &c. vident, ego tamen longè diversus ab illis video, neque quid opis ad videndum conferant intelligo. Fingam enim ad oculos rei objectæ speciem appellere, (quanquam, si, quod res est arbitrari velim, longè veriùs materiæ cujusdam minutissimæ impulsum dixerim:) eamque speciem per tunicas illas oculi, atque liquores, & filamenta nervorum ad intimos cerebri recessus, in aliqua ejus parte imprimendam, deferri. Atqui hoc nihildum ad videndum facit: quia nec speculô imaginem repercuti, nec ceræ signum imprimi *videre* est: Sed adstantem oculos intendere speculo, imaginemque illam & signum illud sensu percipere, id demùm *videre* est. Videsis etiam quæ

cap.

cap. 11, §. 18. dicta. Aliis igitur oculis opus esset mihi, speciem ab oculis hisce reflexam, aut cerebro impressam, visuro; de quibus idem quærendi locus usque & usque erit. Oculi proinde, quod ad videndum conferunt, non à se, nec à me, sed aliunde habent: unde verò nisi à Deo? Quod autem de visu, idem de auditu, odoratu &c. imò & imaginatione, quæ nisi sensu percepta non attingit, verissimum prædicari, patet attendenti.

6. Hisce vestigiis Deum cum ubique, tùm maximè in memet ipso præsentem, potentem, operantem, vel *palpando inveniam*, Act. 17: 27. Stupendum planè Providentiæ divinæ miraculum est homo. *Ejusdem prorsus momenti est, idem in re ipsa miraculum: ex imperio voluntatis meæ linguam in ore meo tremere, cùm terram dico, & ex eodem imperio terram ipsam tremere. Interest tantùm, quòd illud ad tempus aliquod fieri Deo placuerit; non item hoc.* Sic meipsum humiliare, à Deo pendere, & quæ mea, quæ aliena Deus esse voluit; prudenter discernere discam.

CAP. IV.

De causis actionum moralium præparantibus, & impellentibus, atque fine.

§. 1.

Hactenus de principiis sive causis actionum moral. quæ sunt intra hominem: sequuntur considerandæ causæ, quæ sunt extra hominem, vires tamen suas in intima ejus explicant.

Earum aliæ sunt præparantes; aliæ Impellentes.

Præ-

Præparantium causarum alia est primaria: alia Secundaria.

Illa *in actionibus bonis est efficacia gratiæ illuminantis, dirigentis, refrænantis, sanctificantis.*

Hæc *est educatio, institutio, disciplina, & exempla.*

Impellentes causæ sunt, suasio, dissuasio: hortatio, dehortatio: præceptum, interdictum: promissio, comminatio: laus, vituperium: præmium, pœna.

E x p l.

1. Causam præparantem primariam dico gratiam Dei: absque qua sit, homo suâpte naturâ ad omne bonum ineptus, & ad quidvis mali proclivis, ne quidem ut par est, in causa morum, vera de falsis, bona de malis discernere, nedum quod verè bonum est, sincero & constante amore amplecti potest, attestante & Scripturâ S. & omnium ætatum memoriâ.

2. Gratia vel *communis est & coërcens*; quam Deus promiscuè quibusvis; vel *specialis & sanctificans*, quam solis electis impertitur. Quòd Gentilium alios quidem pudor; alios legum reverentia; alios honestatis laus, ambitio; alios aliud vitæ institutum prohibuit, quominùs quidvis, ut *hominis animalis* fert indoles, certò humanæ societatis exitiò, auderent, gratiæ coërcentis & refrænantis beneficium fuit, quô ipsô factum, ut alius esset Camillus; alius Catilina. Quæcunque igitur mirabiliores Gentilium prædicentur virtutes, nemo è probitate naturæ profectas dixerit, nisi quæ Spiritus καρδιογνώσης de universali, eaque insuperabili indolis humanæ pravitate passim in Scriptura S. præsertim Rom. 3: 10. 18. prodidit, in dubium revocare sustineat.

3. Causas præparantes secundarias dicimus *Educationem, Institutionem* &c. Intelligentes per *Educationem*

cationem non solùm alimentorum vitæ sustentandæ necessariorum suppeditationem, sed & maximè, quæ eam comitari solet, animi & actionum puerilium familiarem & domesticam directionem. *Institutio & disciplina* est accuratior illa informatio, quâ pueritiâ & adolescentia à Præceptoribus, bonis, commodisque moribus imbui solet. *Exempla* sunt facta moralia in sensus incurrentia, quæ vel imitamur vel fugimus: quorum utramque in partem, ad mores sive emendandos, sive corrumpendos, magnam esse vim, plus satis constat.

4. Quæ causæ præpar. secundariæ nobis dicuntur, ad rectam morum informationem tùm demùm prosunt, ubi Deus illas veluti adminicula, gratiæ suæ subservire jusserit, secùs per indolis humanæ indomitam malignitatem non profuturas.

5. Quæ de *causis Impellentibus* brevissimè monuimus, difficultatem non habent. Id modò tenendum; Gratiæ divinæ necessitate nec libertatem Voluntatis minui; nec *suasionis*, *hortationis* &c. usum tolli. *Illa* enim verè liberos, quippe quàm maximè volentes efficit: *Hæc* verò sunt adminicula moralia Naturæ rationali, quæ sic duci amat, attemperata. Adde, quòd, cùm Virtus sit officium obedientiæ, suasio, hortatio &c. cui, qua in re, quâ ratione, quo fine &c. obediendum sit, ostendunt.

§. 2.

Finis moraliter agentis est Boni alicujus, veri vel apparentis, consecutio: etsi finis operis alius esse possit. Hinc adeò finem proprie, media non nisi propter finem amamus.

Expl.

1. Finis moraliter agentis in genere spectatus est *boni* alicujus consecutio, puta, nisi actio pror-

prorſus fuerit temeraria. *Boni* autem *conſecutione* complectimur & *mali declinationem*, quæ boni rationem habet. Finis enim ad agendum non movet niſi ratione boni, quod ſæpè ſæpiùs veri ſpecie agentis affectui ſeſe commendat, reapſe & in ſe malum. Actionis interim ipſius finis â fine agentis longè diverſus eſſe poteſt.

2. *Finem* abſolutè & propriè; *media* non niſi propter illum amamus: imò caſus fert, ut media per ſe ſuoque nomine non nunquam oderimus. Qui ſtudiis vacat, ut doctus evadat, non tàm ſtudiorum & lucubrationum, quàm eruditionis amator eſt. Quod ſi eruditionem conſectetur, ut Publico proſit, Reipublicæ veriùs, quàm eruditionis, amator perhiberi merebitur. Rurſus, ſi & prodeſſe cupiat Reip. ut honorem & dignitatem, aut opes, aut amicos ſibi concilier, harum potiùs rerum, quàm commodi publici, amator erit. Adeò ut finis & ſpeciem & nomen det actibus noſtris. Æger, ſanitatem utique amans, pharmacum ſæpiuſculè odit: eò nihilominùs utitur, ſanitatis, quæ una in votis eſt, cupidiſſimus.

§. 3.

Diſtinguitur Finis Operis & Operantis.
Ille eſt, ad quem res quæque ſuâ naturâ conducit.
Hic eſt, propter quem quis operatur.

Expl.

1. EXemplis præceptum hoc tantiſper illuſtremus. Studiorum finis eſt Eruditio, ad quam comparandam ſuâ naturâ valent: hic finis eſt *Operis*: qui & *Operantis* eſſe poteſt. Sed & longè diverſum eſſe contigit non tarenter, ut vel jam dicta arguunt. Virtuti *finis operis* eſt felicitas, quam ſuâpte naturâ conciliat: idem tamen non eſt *finis* O-

perantis, in quo sistat Vir bonus, quippe non propter felicitatem, sed propter obligationem operans, alioqui seipsum veriùs, quàm virtutem quæsiturus. Cæterùm, *an liceat benè agere intuitu mercedis*, videsis in prolegomenis nostris ad Catechesin Palatinam.

2. In hoc genere præcellere videtur *finis Operis*, quippe per naturam, vel ut veriùs dicam, à Deo constitutus, qui alius quàm ipse Deus esse nequit, propter quem est atque sit, quicquid rerum bonarum est: neque frustrationi hic locus est ullus. *Finem Operantis* quisque sibi constituit, quô etiam haud rarò frustratur.

§. 4.

Finis porrò est Cujus vel Cui.

Finis Cujus dicitur, ad quem assequendum adhibentur media. Finis Cui, in cujus gratiam adhibentur media.

Finis Cui vel Beneficentiæ est, vel Obedientiæ.

Ille, cùm agendo id intendimus, ut alicui benè sit.

Hic, ut præstemus, quod quis jubet, moti jussis ejus, sine benefaciendi proposito.

E x p l.

1. Colendarum artium *finis Cujus* est Eruditio; *Finis Cui*, est Cultor ipse. Hæc distinctio cùm in fine Operis, tùm Operantis locum invenit: Exemplo sit illud Horatii,

Serm. l. 2. Sat. 3.
Filius aut etiam libertus ut ebibat hæres
Dis inimice senex custodis, ne tibi desit.

Senex avarus opes undique corradens & recondens, ipse sibi finis *Cui Operantis* est: sed finis *Cui Operis*, sunt hæredes, quibus sordida senis avaritia prodest.

2. In-

2. Inter hos fines antecellit *finis Cui*, quoniam *finis Cujus* non nisi propter *finem Cui* expeti solet, quô obtentô voluntas ulterius non tendit, sed velut in motionis suæ termino sistit.

3. Inter Naturæ humanæ Vitia est, quòd vulgò homines se ipsos *finem Cui-Operantis* constituant, cuncta ad se referentes, suique gratiâ quidlibet facientes. Atque hic philautia facillimè imponit parùm cautè seipsos observantibus: ut quando non nisi alium hominem *finem Cui* habere sibi videntur, reipsa tamen veriùs suâ, quàm alterius gratiâ egisse deprehendantur. Ex. gr. adivit quis periculum, liberaturus fortè pereuntem: quid proclivius, quàm videri hoc casu nullam suî habuisse rationem, qui præsentissimum periculum pereuntis gratiâ subivit? Excutiat animum, numquid fortè, ut gloriam, existimationem, lucrum, & quid non, consequeretur, vel affectui cuicunque satisfaceret, se tàm strenuum præbuerit? fucus apparebit. Rarissimum est, ut nos veritatis amor, Deumque glorificandi studium, stimulet, eaque sola sit actionis nostræ causa. Sic, quæ Parentes propter liberos; quæ homines alii inter se devinctissimi propter necessarios, agere videri volunt, ut plurimùm studiô suî & propter se agunt: quandoquidem propter se agere & satis velle facere suis passionibus, reipsa unum idemque sunt.

4. Ex adverso Vir bonus *finem Cui* suarum actionum habet unam Veritatem sive legem & gloriam Dei. Proprietas Dei est, ex infinita ejus perfectione fluens, *esse finem operis & Cui* omnium rerum creatarum: Veritas etiam æterna est, *non alium finem Cui-Operantis habendum* esse homini Cujus veritatis amore Vir bonus unicè delectatur.

5. Si *finem beneficentiæ & obedientiæ* ex moribus hominum spectemus, hic quidem non perinde propriè, ac ille, *finis Cui* videbitur. Cui enim benefacimus, propriè in gratiam ejus agimus. Contrà

sæpè fit, ut qui cui obedit jubenti, non tàm jubentem diligat, quàm eum, in cujus gratiam & favorem jussa ejus exequitur. Sic servo *finis obedientiæ* est Herus; numquid verò propriè est *finis Cui*? Atqui ea est vernilitas servi, ut jussa heri capessat propter se, nimirum, ut sibi benè sit, saltem ne vapulet. Sic Cives amore suî parent Magistratui, imperata facientes spe commodi, metuque pœnæ. Hominibus actum, quàm animum magis, & obligationem potiùs, quàm intentionem, quærentibus, servitus ista externa satis esse solet. Idem verò ad causam Dei ejusque legem transferre ineptum pariter & impium est: Deo, vero quippe & uno Domino, & actum & animum requirente.

6. Quòd si substantiam istorum finium consideremus, longè nobilior est finis obedientiæ, quàm beneficentiæ: quia finis beneficentiæ illum, in quem beneficium conferre velis, te aliqua indigere & teipso hoc in casu inferiorem arguit: hinc adeò Patroni, quàm clientis; benefactoris, quàm beneficium accipientis persona potior habetur, & superiores atque potentes operam sibi nostram etiam summa humanitate addici vulgò ægrè ferunt, nolentes, ullo nomine nobis inferiores atque adeò tales videri, qui te vel ope nostra juvari queant.

7. Præpostera igitur est pietas Deo ipsi gratificari ac benefacere volentium. *Numquid Deo utilis est homo? numquid voluptas est Omnipotenti, quum justus fueris? & an lucrum, ubi integras esse feceris vias tuas?* (Job. 22. c. 3.) *Vos*, inquit Servator, *amici mei estis; si faciatis, quæ præcipio vobis.* (Joh. 15. 14.) Summus amor, quò Christum complectaris, in eo versatur totus, ut facias quod ille jubet. Deus igitur finis non beneficentiæ sed obedientiæ est, intelligendo finem Operantis. Agendum igitur hoc, omittendum est illud, eò solùm, ut Deo obedias.

§. 5.

Finis denique vel ultimus est, vel ultimo subordinatus.
Ille in alium finem non ordinatus, voluntatis motionem in se sistit.
Hic ad ulteriorem finem assequendum suô locô & ordine dirigitur.

Expl.

1. Animum doctrinâ excolenti, ut existimationem sibi compararet apud alios, finis ultimus est honos: subordinatus est doctrina, quâ laudem venatur.

2. In hoc genere citra controversiam finis ultimus est præstantior, cùm finis subordinatus *medium* veriùs quàm *finis* dici debeat. Unde consequitur, nos finem subordinatum non absolutè & propter se velle atque amare, voluntate in eo non acquiescente, sed in ulteriorem finem tendente.

3. Finis ultimus est subordinatus etiam in fine Operis & Operantis, itemque in fine Cujus & Cui, locum inveniunt. Vir bonus, exempli causâ, sibi ipsi potest esse finis Cui, sed subordinatus: quid enim vetat, Virum bonum sibi parare, quæ corpori commoda, & animo suavia sint, modò hæc ad ulteriorem, & tandem ad ultimum illum finem obedientiæ, Deum, puta, ejusque legem, referat.

4. Deus, sive gloria Dei, finis absolutè summus est, idque modô præstantissimo; quod vel è dictis colligere licet: quia ipse est *finis Operis*, qui *fine Operantis* præstantior: ipse est finis *Cui*, qui fine *Cujus*: finis *Obedientiæ*, qui fine *beneficentiæ* excellentior. Porro cùm Deus sit summè perfectus & independens, ex quo solo, quicquid rerum est atque fit, originem suì ducit, aliorsum, quàm ad Deum

ejusque gloriam quicquam esse vel fieri, repugnat;
Rom. 11: 36. *Ex Ipso, & per ipsum, & ad ipsum sunt omnia. Ipsi gloria in secula.* Hunc etiam *finem Operantis ultimum* intendere convenit agenti: idque ea ratione, ut quotcunque demùm media fini supremo consequendo destinata fuerint, nihilominùs quôvis mediô seorsim utenti semper, quod ultimum est in executione, primum sit in intentione atque adeò finis ultimus irretortô quasi oculô, pariter vigescente desiderio, spectetur. Hôc autem studiô nihil est rarius, philautia hominem usque adeò excæcante & infatuante, ut finis ultimi, qui gloria Dei est, securus semetipsum ubique quærat, nec tamen usquam inveniat.

§. 6.

Actiones morales non solo fine distinguuntur, quasi illicò bonæ censeantur, quæ bono fine suscipiuntur; quemadmodum ex adverso malæ sunt, quæ malo fine fiunt.

EXPL.

1. Dubium non est, quin mala sit actio, malo fine suscepta: qualis erat illorum, qui ex
Phil. 1: 16, 18. *contentione Christum annunciabant, non castè, putantes, se afflictionem addere vinculis* Pauli: nimirum, ut increscens numerus, non Christianorum, sed Pauli osorum, singulos ad insectandum Apostolum audentiores redderet. Ea re tamen lætabatur Paulus, quòd boni quid inde rediret, cognitione Christi ad plures propagata, tametsi animus præconum omnibus non innotesceret, neque adeò magnoperè fraudi vel damno esse posset.

2. Finis interim bonus se solô actionem nequit reddere bonam. Quis ceu bonum factum probaret, furtim abstulisse opulentioribus, quod posthac erogetur in pauperes? *Neque enim facienda sunt mala,*
Rom. 3: 8.

ut eveniant bona: estque verissimum tritum illud in scholis; *Bonum est ex integra causa; malum ex quolibet defectu*. In genere morum ex causis & circumstantiis non tantùm Varietas *graduum*, verùm etiam *speciei*, pendet: adeo ut circumstantiæ actionibus moralibus essentiales sint, neque hæ citra illas considerari queant. Secùs comparatæ sunt res Physicæ: circumstantiis enim variantibus ipsæ manent immutatæ.

CAP. V.

De Speciebus actionum moralium, & Norma.

§. 1.

Actio moralis distinguitur Vel ratione Principii, ex quo proficiscitur: Vel ratione Regulæ, ad quam conformanda est.

Ratione principii vulgò triplex statuitur; Voluntaria, Invita, & Mixta.

EXPL.

Actionis in Voluntariam, Invitam & c distinctio in moralibus utilis & necessaria est, ut constet, quæ actiones homini imputari queant. Actionum enim humanarum, quæ ab Intellectu & Voluntate proficiscuntur & diriguntur, hæc præcipua affectio est, quòd *imputari*, h. e. homo pro earum Authore rectè haberi, redundantibus in ipsum effectibus, qui ex istis actionibus proveniunt, ac proinde de iisdem ratio posci queat. Nulla enim propior ratio est, quare alicui actio quæpiam imputetur, quàm quia ab ipso sciente & volente, mediatè aut immediatè, profecta est, seu quia penes ipsum fuit, ut fieret vel non fieret.

§. 2.

§. 2.

Actio Voluntaria est, ubi quis sciens & lubens agit, adeoque praeunte rei & circumstantiarum cognitione.

EXPL.

1. Actio Voluntaria etiam dicitur *libera* & *spontanea* indiscriminatim: unde Cicero pro *spontaneo* dicere solet *voluntarium*. Qui *spontaneum* latiùs patere volunt, quàm *liberum*, falsò supponunt, libertatem in sola indifferentia esse sitam, & circa *media* solùm, in quibus electio & deliberatio locum habet, versari.

2. Ut actio sit libera sive spontanea, requiritur, 1. Ut agendi principium sit in ipso agente, adeoque ut volens agat. Cui tamen non repugnat aliunde, puta, efficaci gratiâ Dei, vel rationibus suadentium & exhortantium, ad agendum moveri. Modò enim, quia velis, agas, sive aliunde ad agendum inductus ita velis, sive secùs, actio erit spontanea & libera. 2. Ut actio suscipiatur praeunte cognitione rei & circumstantiarum, quae pervagatò continentur versiculô;

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando?

Quae circumstantiae singulae varia concurrendi ratione & combinatione suî ad actionum variationem, exaggerationem, extenuationem &c. plurimum conferunt, in quibus discernendis, & ad regulam accurandis & exigendis potissimùm circumspectio occupatur. Haec porrò rei atque circumstantiarum cognitio vel ideò necessaria est, quia ignorantia actionem nonnunquam facit esse invitam, uti posthac patescet.

3. Adopinantur ergò, veri specie, similitudine, puta, actionum externarum delusi, qui brutis animantibus *sponte agendi facultatem* tribuunt: etsi motus, qui in brutis impetu & conformatione organorum

norum cientur, *actiones*, sed *physicas*, dici nihil vetet: quemadmodum motus in quolibet corpore respectu principii moventis consideratus, etiam *actio* appellari consuevit. Motus autem illos animantium Naturæ Author & Arbiter in finem quemque suum haud minùs providè dirigit, ac sagittarius sua tela, scopi in quem feruntur ignara, vibrat.

§. 3.

Actio Voluntaria vel prævià deliberatione, vel sine deliberatione suscipitur.

Deliberatio est ratiocinatio, quâ mens præstituto fine, pluribus inter se collatis, quid omninò vel non, magis, vel minùs &c. ad finem assequendum conducat, disquirit, & tandem quod conducibilius visum fuerit, sequendum statuit.

Expl.

1. Quoniam ea est agendorum & omittendorum natura, ut sua multitudine, similitudine & difficultate sæpissimè nos incertos reddant: eaque insuper est mentis nostræ imbecillitas & hebetudo, ut, quid agendum sit, quid omittendum, quid cum quo differat, quid cui præstet, illicò rescire non valeat, necesse habet deliberare. Quoties verò quid agendum, omittendumve sit, jamjam compertum habemus, aut alioqui vel necessitati præcipitis negotii, vel opportunitati temporis moram deliberationis non ferenti, parendum est, sine deliberatione erit actio, neque tamen inconsulta, quo sensu inconsultum dicimus, quod temerè fit.

2. Ut quid deliberatio sit, & qualiter instituram oporteat, rectiùs intelligatur, deliberationis considerandа sunt cùm *Objectum*, sive res deliberanda; tùm *Modus*.

3. Res

3. Res, quæ in deliberationem cadere queat, conditiones habet duas. 1. Non oportet eam naturâ suâ esse determinatam, quin aliter atque aliter fieri possit. Sic frustra deliberes, quô pactô faciendum, ne trigoni cujusque anguli tres æquent binos rectos: ne latus subtendens angulum rectum, potestate æquivaleat lateribus cæteris &c. Unde Aristoteles, *In electionem non cadit quod factum est: non enim consultat quisquam de eo quod factum est, sed de eo, quod futurum est, essque aliter potest.* Idemque de fine negat esse deliberationem. Non deliberat Medicus, utrùm sanitatem sibi debeat proponere finem, an non. Nec militiæ Præfectus consultat, victoriam intendere velit, nec ne, sollicitus uterque de mediis fini consequendo idoneis, in quorum disquisitione quicquid consilii sui habet insumit. Istuc saltem de fine summo negari nequit, nemine an felix esse velit, nec ne, deliberante. 2. Rem deliberandam oportet esse talem, in quam Voluntati aliqua sit potestas. In causa verò Boni moralis supponimus voluntatem esse sanatam, & servitutis suæ compedibus expeditam. Sic nemo deliberat, quô pactô Solis cursum sistere, ad astra subvolare &c. velit: quandoquidem Voluntas humana, etsi perinde recta foret, ac fuit Voluntas hominis integri, in hisce & similibus nihil possit. Neque enim, ut tale quid præstes, satis est voluisse. In solo Deo velle & posse unum & idem sunt: quare & quæ facta extitere unquam, quæ fiunt & porrò fient, ex solo voluntatis divinæ decreto provenisse atque provenire credendum est. *Tu condidisti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & condita sunt.* In moralibus quidem deficiente, citra culpam nostram, materiâ, occasione &c. rectè voluisse satis est, Deo animum spectante: nihilominùs ut actio Voluntatis forâs quasi dimanet, & destinata fiant, potentiam à voluntate diversam accedere necesse est. Deliberationi igitur locus est in rebus, quas voluntatis huma-

[margin: Nicom. VI. c. 2.]

[margin: Apoc. 4. 11.]

humanæ imperio modò quôdam suô subesse vult Deus. Quo de suprà nobis pro necessitate dictum est.

4. *Modus deliberandi* in duobus spectatur, nempe in *Constitutione finis* & *disquisitione mediorum*. Primùm igitur deliberanti certum *finem*, in quem veluti scopum collimet, constitutum oportet. Proximum huic est, cogitare de mediis, quorum consideranda sunt *qualitas* & *numerus*, de quibus ubi de prudentia.

§. 4.

Actio invita vel per se talis est, vel talem esse accidit. Per se invita est, quando quis ad agendum cogitur. Invitam esse accidit ex ignorantia, cujus causa in agente sita non est.

Expl.

1. Quia ad *Voluntarium* requiritur, tùm ut agens voluntatis suæ impulsu ad agendum accesserit; tùm ut quid ageretur, sciverit; apparet, alterutro horum, aut utroque deficiente, actionem reddi invitam. *Videntur*, inquit Aristot. *invita esse, quæ aut vi, aut ignoratione efficiuntur.* *Nic.III. c. 1.*

2. *Coactum* stricto significatu dicitur, ad quod ab externo principio validiore quis adigitur membra sua applicare, aversationem ac dissensum suum signis, præcipuè renixu corporis, ostendens. Sic Lucretiam amici, data fide, haud impune adultero fore, *consolantur, ægram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam abesse.* *Liv. L. 1. c. 58.* Actio hoc sensu, rem ex natura, non ex sermonis usu, æstimando, veriùs passio, quàm actio dicetur, quemadmodum motus in mobili non ut actio, sed passio sive modus considerari solet. Neque tamen, quod dicimus indistinctè capiendum est. Potest enim

quid

quid *coactum esse in se*, quod idem non sit *in sua causa*: Veluti si quis nunc in tali rerum statu versetur, ut vim illatam repellere nequeat, suâ tamen culpâ in istum statum devenerit: quò referre possis stuprum Dinæ illatum, *Gen.* 34. Inconsiderantiæ & temeritatis fuit, Virginem inter ignotos nulla necessitate, peregrinari. Cæterùm, si cui munere injunctô fungenti, vel jure suo aliàs utenti, nec quicquam inconsultò præter officii aut prudentiæ leges suscipienti, vis ingruat, actio invita censetur simpliciter.

3. Actio, cui accidit esse invitæ, dicitur *imprudens*, quippe id ipsum, quod esse dicitur, ex imprudentia, vel ignorantia, habens: talem verò oportet esse, quam dolor & facti pœnitentia insequatur. Sic Adrastus *vibrato in aprum jaculo*, *Crœsi filium frustrato ictu interemit*. Quod factum cùm vehementer doleret, seque ipsum super exanimati cadaver mactandum, offerret, à Crœso hoc inter alia responsum tulit; *Neque tu hujus mihi cladis author es, nisi quatenus id fecisti imprudens, sed Deorum quispiam qui jam mihi ventura significavit.* Vicit nihilominus dolor Adrastum. Etenim *ubi silentium fuit ad sepulchrum, ignoscentibus ei hominibus, ob quæ ipse gravissimè afflictabatur, sese super bustum transfodit.*

Herod. in Clio.

4. Differunt autem inter se, *per ignorantiam agere*, & *ignoranter agere*. Priori modo agenti ignorantia actionis causa est: exemplo sit, qui cognatam ducit in matrimonium, nesciens. *Ignoranter agit*, cujus actio non quidem ex ignorantia proficiscitur, attamen cum eadem est conjuncta. Velut qui ebrius perpetrat cædem. Sic vini vitiô & amoris stuprum nequicquam excusat Lyconides apud Plautum, *cui scitè respondet* Euclio;

Aulul. act. 4. scen. 10.

——— ——— Homo audacissime,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, impudens?
——— ——— nimis vile 'st vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.

5. Ut

5. Ut autem, quæ ignorantia factum excuset, quæ non excuset, rectiùs etiamnum intelligatur, sequentia teneantur præcepta.

1. Ignorantia spectari potest duplici modo: *Uno* quidem, prout aliquid ad actionem confert. *Altero*, prout invito, aut culpâ non prorsus vacanti oborta est.

2. Prioris intuitu, Ignorantia *efficax* distinguitur à *comitante*. Efficax est, absque qua fuerat, actio non esset suscepta: cujus exemplum suprà allatum est, de matrimonio. Comitans est, quæ licèt abfuisset, actio tamen suscepta fuisset. Velut si quis hostem interficiat ignorans, quem nihilominùs interemptum cuperet, vel maximè sciens.

3. Posterioris respectu Ignorantia est *voluntaria* vel *involuntaria*. Illa est, quam quis vel ultrò affectavit, rejectis veri cognoscendi mediis; vel per indiligentiam obrepere sibi passus est. Hæc, nempe Involuntaria, est ejus, qui ignorat, quod scire nec poterat, nec tenebatur. Atque hæc rursum duplex est; *Vel* enim quis in præsens quidem ignorantiam exuere non potuit, sed quò minùs posset, suâ culpâ fecit, Ut qui in bello, ad quod sponte conduci passus est, amicum, vel fratrem interficit. *Vel* non solùm in præsens ignorantiam vincere nequit, sed nec ullâ suâ culpâ ad talem conditionem devolutus est.

4. Ignorantia Voluntaria dicitur *culpabilis*, *affectata*, *vincibilis*. Involuntaria contrà: quæ sæpius saltem invincibilis & inculpabilis est. Utraque porrò vel *Juris* est, vel *Facti*. Ignorantia voluntaria *Juris* est, cùm quis legem, cujus addiscendæ causam & occasionem habuit, ignorat. Estque *vel juris universalis*, sive legis moralis, cujus præcepta per summam evidentiam suam, nullius hominis, qui hactenus mentis non impos sit, notitiam effugiunt. Unde merito voluntaria & vincibilis dicitur. *Vel* est *juris particularis*, humani & civilis,

cujus

cujus tenorem ſcire tenentur & poſſunt, qui in ſocietatem civilem, legum imperiis retinendam, coivere.

5. Ignorantia Voluntaria *Facti* eſt, cùm quis factum, factive circumſtantiam ignorat per oſcitantiam & ſocordiam, cùm nôſſe deberet & poſſet. Sic qui lapide per feneſtras projecto prætereuntem feriret, factum malè excuſaret, cauſando, ſe neſciviſſe, quempiam præteriturum.

6. Ignorantia *Involuntaria Juris* eſt, ubi quis nullâ ſuâ culpâ jus; puta, particulare ignorat. Huc pertinet, quod Suetonius de Caligula refert. *Hujuſmodi vectigalibus indictis, neque propoſitis, cùm per ignorantiam ſcripturæ multa commiſſa fierent* (in cauſam commiſſi caderent) *tandem flagitante Pop. Rom. propoſuit quidem legem: ſed & minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco, uti ne cui deſcribere liceret.*

In Calig. §. 41.

7. Ignorantia *Facti involuntaria*, cùm quis factum qualecunque factive circumſtantiam ignorat; cùm ſcire nec poſſet, nec deberet.

8. Notandum interim, non omnem actionem ex involuntaria ignorantia profectam illicò *invitam* cenſeri poſſe, niſi ubi re cognita dolor inſequitur, factique pœnitet authorem. Ergò non invitus egit, qui cùm lapide canem petere vellet, novercam ſuam feriit, & plaudendo, quaſi re benè geſta, dixit; *Euge! ne ſic quidem malè.* Sic enim actio, quæ hactenus involuntaria eſt ex accidente, voluntaria fit per ſe, morali æſtimatione, ſubſequente approbatione.

9. Ignorantiæ proximus eſt *Error.* Quando non ſolùm cognitio veri deficit, ſed & ejus loco falſa perſuaſio animum occupavit, in *errore* verſari animus humanus dicitur: De quo breviter ſequentia præcepiſſe ſufficiet.

1. Error Vel *Vincibilis* eſt, quando quis attentione & diligentia, quam adhiberi par erat, cavere poterat ne in eum incideret. Vel *Invincibilis*, quem

quis

quis adhibita omni diligentia, quàm vitæ communis ratio fert, evitare non poterat.

2. Observandum non indiligenter, *Erroris* diversos esse effectus: *Alios* quidem circa actiones, quas homo pro lubitu suscipere vel intermittere potest. *Alios* circa actiones, quæ Superioris Authoritate circumscriptæ, & legibus præceptæ vel interdictæ sunt.

3. Circa *Actiones prioris generis* Error consensum intercipere intelligitur, non sequentibus illis effectibus, qui ex actione, in quam consenseris, provenire solent: præsertim, ubi iste error non ex supina nimis incuria obrepserit. Hujus præcepti usus in foro civili insignis est. Ubi error in pactis & contractibus circa rem ejusve qualitatem, cujus intuitu quis ad contrahendum inductus fuit, pactum reddit invalidum. Quo de videndus illustris Grotius de Jure B. & P. *Lib. II. c. XI. §. 6.*

4. Quantum ad Actiones *posterioris generis* Error vel circa *theoriam* & in eo quod *juris* est; vel circa *praxin* & in eo quod *facti* est, versatur. Aliquando enim quis falsum opinatur de actionum necessitate &c. intermittendum putans, quod erat faciendum, & vice versa. Quô casu errores, quippe vincibiles, non impediunt, quominùs agenti sua imputetur actio, prout cum norma præscripta congruere, aut non congruere videbitur. Huc pertinet, quod vulgò fertur; *Si conscientia versatur in errore vincibili circa rem malam, peccat homo, sive secundùm sive contra eandem agat.* Qua de re videsis Dialogum nostrum de Conscientia. Sæpiùs autem errari contingit circa praxin, errore in exercitio actionum legibus præceptarum interveniente, puta, si objectum actionis legitimum fuerit subtractum, aliô substitutô, item circa tempus, locum &c. Hinc vulgatum illud; *Error interveniens prohibet, ne actio alicui in alterutram partem imputetur, neque tanquam bona, neque tanquam malitiosa.*

Sic cùm aliàs obligatione libereris, si solvas, cui debes. Ubi per errorem solveris, peccatum non admisisti: prior tamen obligatio non fuit sublata. Excipe tamen casum, ubi quis præcisè objectum, locum aut tempus explorare fuerit jussus, vix effugere poterit, quo minùs ipsi effectus actionis pravè adplicitæ imputentur, nisi errorem moraliter invincibilem demonstraverit. Velut si servo præceperis, ut certâ te horâ noctis excitet, non admittetur erroris excusatio, si pulsus æris non rectè abs se numeratos dixerit: culpâ tamen cariturus, si horologium ipsum aberraverit. Sic haud rarò contingit, ut in exercenda actione error intercurrat, dum ab objecto, quod sibi quis destinaverat, deviatur. Quo casu agentis malitiâ eâdem manente, actio pro objecti, in quod incidit, ratione gravior aut levior habebitur. Sic qui inimicum suum telo petere destinaverat, si alium quempiam casu percusserit, homicida nihilominus erit: cæde eò plus minusve atrocitatis habiturâ, quò præstantior aut vilior fuerit, qui alieno vulnere cadit. Ubi verò in objectum licitum fuerit aberratum, actio id habebit vitii, quod ex prava agentis intentione profluit. Huc pertinet illud Senecæ; *Si quis cum uxore tanquam cum aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit.* Ibidem: *potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Tanquam si quis rem, cùm è villa mea surripuit, in domo mea ponat, ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim.*

Lib. quòd in Sap. non cad. injuria. c. 7.

In quibus & similibus errorum generibus & casibus alia judicandi ratio in foro humano, alia in foro conscientiæ.

§. 5.

Actio mixta dicitur ejus, qui incumbente graviore necessitate, aliquid tanquam minus malum eligit & suscipit, a quo cæteroquin extra necessitatem constitutus vehementer abhorrebat.

Ex-

Explic.

1. Actionis mixtæ exemplum in jactura, quam nautæ faciunt, urgente gravi tempestate, allevata nave vitam servaturi. Probare non possum exemplum quod Eustratius, Metropolita Nic. ad Aristot. Nicom. III. c. 1. proferre sustinuit; *Rem habere cum aliena uxore turpe cùm sit, efficitur non turpe, si interficiendi tyranni causa fiat.*

2. Tales actiones vulgò mixtæ dicuntur ex spontaneis & invitis. Hactenus enim spontaneæ sunt, eò quòd Voluntas pro præsenti tempore & necessitate in eas feratur, tanquam minus malum aut partem mali, cùm alioqui totum aut saltem majus malum foret subeundum. Quo casu duobus malis imminentibus, cùm utrumque simul declinari non possit, eligitur quod minus est, & naturam boni imitatur. Ex *invito* autem ejusmodi actiones id trahunt, quod ad eas contra suam inclinationem voluntas adigatur, nunquam suscepturа easdem, si alia gravius malum effugiendi via pateret.

3. Id fortè quæri possit; *an Actio talis rectè dicatur mixta?* Resp. Hujusmodi actio si consideretur physicè, qualis per se & naturâ suâ est, Voluntaria veriùs appellari videtur: quia licèt talem rem, qualis est jactura mercium &c. nudè spectatam nunquam vellemus, tamen positis his circumstantiis eam spontè eligimus, tametsi ratione cum affectu luctante. Sunt enim rationes gravissimæ, quæ nos ad hoc potius, quam aliud agendum determinant, alioqui non acturos. Atqui non desinit spontè agere, qui rationibus, quantumvis gravibus inductus agit. Quare & Aristoteles, has actiones *spontaneis similiores* esse affirmat. Quod ipsum haud obscurè videre est in exemplis actionum, quas Ethici in censum mixtarum referunt. Qualis fuit illa Solonis, qui insaniam simulavit, ut legem pa- *Nic. III. c. 1.*

Just. lib. 2. c. 7. lib. 1. c. 10. triæ perniciosam abrogaret, teste Justino. Item Zopyri, qui eodem referente, *domi se verberibus lacerari toto corpore jussit, nasum, aures & labia sibi præcidi*: ut Babyloniorum urbem Regi Dario traderet.

4. Quòd si hoc genus actiones *Ethicè* considerentur, mixtæ dicuntur, quippe id cum invitis commune habentes, quòd effectus morales, qui actiones merè voluntarias consequuntur, in hisce omninò aut ex parte saltem deficiunt, quantum ad judicium fori humani. Etsi enim nonnunquam tam rigida obligatio alicui injungatur, ut ne per intentatam quidem mortem ab ea discedere debeat: tamen ubi ista expressè non adparet, haud quicquam facilè præsumitur, tanquam conditione humana asperior, & ubi illa deest, stultum fuerit, non minima quaque parte mali velle defungi, siquidem per conscientiæ religionem fieri queat. Unde quæ aliàs extra talem casum perpetrata reprehensionem erant incursura, si necessitate vincente suscipiantur, ab æquis hominibus, si non omninò laudentur, saltem commiseratione magis quàm indignatione digna haberi; alia penitus, aut ex parte excusari solent: in quibus invidia actionis & culpa in alium devolvitur, facti executore innocente declarato. Tenendum verò, etiam hîc haud paulò exactius esse judicium fori conscientiæ, quàm fori civilis: quia Veritatis amor, Virtutis studium & Conscientiæ religio omnibus præsentis vitæ commodis antehabenda sunt.

Atque hæc de distinctione Actionum moralium ratione principii dicta sufficiant, unde, quid cuique imputari, seu cujus actionis, eventusque Author quisque possit haberi, non segniter attendenti constabit.

§. 6.

§. 6.

Actio moralis ratione Regulæ, vel Bona est, vel Mala. Illa deniòm verè honesta & laudabilis: hæc inhonesta & vituperabilis dicitur.

Actio bona est, quæ per omnia ad normam congruit.

Mala est, quæ vel in uno à norma discrepat.

EXPL.

1. Bonitatis & malitiæ actionum proæreticarum *ratio formalis*, quam vocant, consistit in habitudine convenientiæ vel disconvenientiæ ad normam dirigentem & obligantem, quam dicimus *legem*. Supponimus hic ceu verissimum & evidens, de quo & animus cuique suus testis est locupletissimus, *hominem non esse sui juris*, ut quocunque animi libido incitârit, sequatur: sed à nutu Dei, Creatoris & Domini sui suspensum, in eo solo consistere debere, quod illi placuerit.

2. Quemadmodum autem norma motum agentis dirigens, exempli causâ, pyxis nautica, hactenus causa dicitur rectitudinis itinerariæ, quâ fit, ut in portum pervenias, non tàm quia navis eum tenet cursum, qui cum directione ejus coincidit, quàm quia ex indicio ejusdem Nauclerus cursum dirigit: Ita Lex est causa rectitudinis in actione, non tàm quia actio, quacunque intentione suscepta, ad illam quadrat, quàm potissimùm, quia ex legis dictamine, cum intentione obedientiam eidem præstandi, proficiscitur. Unde si quis casu, citra intentionem obsequendi, quod lege præcipitur agit, haud magis *Benè* egisse dici potest, quàm qui fortuita sclopeti displosione feram stravit, peritè & artificiosè jaculatus dicetur.

3. *Legis* nomine generatim intelligimus omnem *Veritatem practicam* menti cognitam, quæ vim obligandi in & per conscientiam exerit. Atque huc quidem pertinet Ratio homini reliqua, sive lex illa interior omnium cordibus inscripta: etsi per eam solam homo errorum caligine obvolutus, suique amore excæcatus vix tenuiter degustet, quis Deo acceptus sit cultus, & quod præstandum in omnibus obsequium, quinimò à rectâ ejus ratione longissimò intervallô distet. Cur alioqui *concupiscentiam* esse peccatum Apostolus se *cogniturum* negâsset, *nisi lex*, nimirum scripta, *dixisset; non concupisces*? Proinde, quod tùm hebetudini, tùm contumaciæ nostræ necessarium erat, Dominus legem scriptam nobis posuit, quæ & certiùs testificaretur, quod in lege naturali nimis obscurum erat; & mentem, memoriamque nostram excusso torpore, vividiùs feriret. Quicquid ergò Veritatis practicæ, tùm in Decalogo, legis compendio; tùm in ejusdem explicatione, per universum Scripturarum S. Codicem diffusa, occurrit, pro actionum nostrarum norma agnoscendum est.

Rom. 7. 7.

4. Congruentiam actionis cum norma oportet esse exactam in omnibus, quæ lege determinantur, puta, in *qualitate*, sive *dispositione agentis*, *Objecto*, *Fine*, & certis denique *Circumstantiis*. Hinc Actio moraliter erit *Bona* aut *Mala*, Vel quia Agens ita est dispositus, uti lex requirit, aut secùs; exempli causâ, agit ex certa cognitione, intendit obedire legi &c. aut secùs. Vel quia actio dirigitur in Objectum, eo fine, iisque circumstantiis, prout lege est definitum, aut contrà. Sic laudari non meretur, qui, dum nocere intendit, prodest. *Tuber quidam tyranni*, inquit Seneca, *gladio divisit, qui ad eum occidendum venerat. Non idcò illi tyrannus gratias egit, quòd rem, quam Medicorum manus reformidaverant, nocendo sanavit. Vides non esse magnum in ipsa re momentum, Quoniam non videtur dedisse*

Lib. II. de benef. c. 19.

... beneficium, qui malo animo profuit. Casus enim beneficium est, hominis injuria. Sic qui potestate sua legitima malo fine utitur, velut judex, potestate puniendi noxios, ad satiandam libidinem suam, peccat. Ita apud Carthaginienses *in crucem tolli Imperatores dicuntur, si prospero eventu pravo consilio rem gesserunt.* Verba sunt Cn. Manlii apud Livium. Lib 38. Scil. quod & suprà nobis est notatum, *Bonum esse ex* c. 48. *integra causa, malum ex quolibet defectu.* Vanum igitur, quod nonnulli dicunt, *Actionem quoad substantiam Operis esse bonam, etsi finis legitimus non intendatur*: quia finis, haud minus ac circumstantiæ quævis aliæ, ad actionis moralis essentiam pertinet. Inde adeò peccat, non tantùm qui malo, sed & qui aliò, quam legibus præscripto, fine agit. Quale est *precari in triviis, ut appareas hominibus.* Matth. 6.

5. Est autem actionum moral. norma semper 5. sit eadem; cùm lex moralis æternæ & indemutabilis in Deo veritatis & sanctitatis sit ἀπεικόνισμα: nihilominus diversitas aliqua hic notanda venit in conditione hominis. Alia enim erat ratio *hominis integri* sub fœdere operum constituti, alia *peccatoris*, respectu qualitatis in agente requisitæ. Qui in homine integro erat amor Dei, ejusque legis, unde proficisci debebat studium glorificandi Deum per obedientiam exactam & perseverantem, in peccatore locum habere non potest absque fide in Christum Redemptorem, in quo solo Deum sibi amabilem cognoscit, alioquin osor Dei, qualis suapte natura est peccator omnis, in æternum mansurus. Per Spiritum S. qui datur, quando fides salvifica datur, quippe *Spiritus fidei*, *Charitas Dei effusa est in* 2. Cor. 4. *cordibus nostris*. Amati igitur à Deo redamamus 13. eundem, aliàs æternùm non amaturi. *Non quòd* Rom. 5. 5. *nos dilexerimus Deum, verùm ipse dilexit nos.* Absque 1. Joh. 4. 10. hoc amore Dei prævertente & trahente sit, quicquid homo tentat, meram φιλαυτίαν redolet, neque boni operis laude ornari potest.

6. Non immeritò igitur Catechesis nostra ea demum *bona* vocat opera. 1. Quæ proficiscuntur *ex vera fide*, quâ recumbimus in Christum, tùm, ut ne desit amor Dei in operando; tùm, ut absit fiducia in opere suo, tanquam iustitiæ causa. 2. *Quæ secundum legem Dei fiunt.* Quo significatur, partim, quòd bona operanti hæc una tenenda sit, regula, ejusque mens diligenter investiganda. Partim, quòd bona operans debeat bonam habere conscientiam, quâ studiosè & in timore Dei *meliora probaverit, certa habens apud animum suum*: Et voluntatem Dei scrutatus, facta sua cum ea comparaverit. 3. *Quæ ad Dei solius gloriam referuntur*: exclusô studio gloriandi operibus coram Deo, placendi hominibus, captandi commoda vana &c. Hisce argumentum dicit Apostolus, *Finis denunciationis est amor ex puro corde, & conscientia bona, & fide non fucata.*

Phil. 1: 10. *Rom.* 14: 5. 1. *Tim.* 1: 5.

§. 7.

Actionis moralis in Bonam & Malam divisio est adæquata. Proinde non datur actio, quæ in genere morum sit indifferens.

Expl.

1. NOnnulli quidem distinguunt Actionis *speciem* & *individuum*, concedentes dari actiones liberas *secundùm speciem* indifferentes, non item *in individuo*. Indifferentiam *secundùm speciem* dicunt, quam actio habeat ab objecto, præciso fine externo, & aliis circumstantiis accidentalibus. Indifferentia verò *secundùm individuum* ipsis est, quàm actio habeat à fine externo & circumstantiis singularibus. Ex. gr. lavare manus, movere pedes &c. actiones per se & sua specie dicunt esse indifferentes, bonas tamen fieri à fine externo & circumstantiis, si

nim, ordinentur ad bonum finem, loco suo, tempore, modo &c.

2. Alii contrà actiones ratione finis externi & circumstantiarum, indifferentes dari existimant, eò quòd finis ille externus & circumstantiæ possint esse indifferentes: qualis est ambulatio, suo tempore & loco animi relaxandi gratiâ, instituta.

3. Nos arbitramur, nullam dari actionem liberam, quæ sit indifferens. Omnis enim actio ordinatur ad debitum finem, vel non ordinatur. *Si ordinatur, cum ordine rationis convenit, unde bone rationem habet.* Si non ordinatur, exorbitat ab ordine rationis, eoque ipso mala est: sic concludit Thomas. 12. q. XVIII. Art. 9. Distinguere *actionis speciem & individuum*, quid juvat? cùm actio secundùm speciem in rerum natura non detur, & non sit nisi modus cogitandi. Apostolus de tota hac causa decidit, quando sic jubet; *sive igitur editis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10:31. Hinc clarum est, quòd tametsi *βρώματα non commendent nos Deo*, ut 1. Cor. 8: 8. alibi inquit idem Apost. & ipsum *edere ac bibere* suâ naturâ sit adiaphorum, tamen usus cibi ac potûs sit vel bonus vel malus. Quemadmodum omnium rerum, quas naturâ suâ indifferentes esse constat, usus non indifferens, sed lege fidei & charitatis circumscriptus est.

§. 8.

Ut Actio, sic omissio in genere morum Bona vel Mala est.

E x p l.

1. Quia peccatum, quà tale, non res est, sed privatio rectitudinis, quæ inesse deberet, etiam peccari potest, omittendo quod est faciendum. *Ei enim, qui noverit rectè facere, nec facit,* Jac. 4. 17 pec-

peccatum est. Quinimò nullum est peccatum commissionis, quod ipsum alio respectu non sit peccatum omissionis. Dum enim quis fecit, quod factum non oportuit, omisit quod faciendum erat. Quæ ipsa causa est, cur in præcepto negativo contineatur affirmativum, & vice versa.

2. Omissio bona est, qua omittitur actio mala, occasione perpetrandi oblata, ex amore Dei & studio obediendi ejus legi. Mala verò est, quâ omittitur actus lege præceptus, quem per occasionem, facultatem &c. præstare posses.

CAP. VI.

De Affectibus in Genere eorumque usu & incommodo.

§. 1.

Ad Materiam virtuti subjectam pertinent etiam Affectus, quorum breviter exponenda Natura, Usus & Incommodum.

Naturam dabit Affectûs definitio, & definitionis explicatio.

Affectus est, nescio quæ, animæ meæ commotio, quæ ad eam speciatim refertur, & per motum aliquem Spirituum animalium producitur, conservatur & corroboratur.

E x p l.

1. Quid Affectus sit veriùs sensu, quàm verbis consequi licet: unde ex sensu loquens, affectum dico esse, nescio quam, animæ meæ commotionem. Quod verò motu spirituum animalium producatur &c. ex penitiori inspectione œconomiæ ani-

animalis utcunque constat Physicis: quorum industriæ etiam accuratior naturæ affectuum indagatio ex eorundem causis, effectis, propriis & signis, relinquenda est. Satis instituto nostro fuerit, definitionem propositam breviter explanâsse.

2. Affectum dicimus animæ commotionem; quia sentimus, ex omnibus cogitationibus, quibus animam occupari contingit, nullas eam perinde agitare, atque affectus: quos inde etiam vulgus Philosophorum, *motus*, *passiones* & *perturbationes* appellare consuevit.

3. Malè igitur Stoici pertendunt, affectus esse *opiniones & judicia levitatis*, nec tàm naturâ insitos, quàm prava opinione susceptos. De illis Cicero; *Omnes*, inquit, *perturbationes judicio censent fieri & opinione. Sic ægritudo ipsis est opinio recens mali præsentis, in quo demitti, contrahique animo rectum esse videatur. Lætitia opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Metus opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur* &c. Hanc sententiam oppidò falsam esse patet. 1. Quia opinio est actio judicii vel voluntatis: affectus verò est passio quæ animæ volenti nolenti utplurimùm obtepit, & ex quo natura nostra peccatô depravata est, in nobis, quasi sine nobis est. 2. Affectus etiam corpus ipsum vehementer sæpè concutit, sanguine, spirituque animali concitatis & perturbatis: id quod de opinione dici nequit, cùm sit languidum quoddam judicium de re non satis explorata. Unde etiam opinione falli rarum non est. Affectus verò, animæ intimus, alius nunquàm est atque sentitur, & ne somniantem quidem carenus falli contingit. *Tusc. l. 4.*

4. Causa sententiæ tam insolentis haud dubiè Stoicis fuit Paradoxum illud decantatissimum, quô statuerunt, *sapientem suum esse ἀπαθῆ sive imperturbabilem. Zeno*, inquit Cicero, *omnibus his affectibus, quasi morbis voluit carere sapientem.* Quam *ἀπάθειαν* cùm jactari veriùs, quàm obtineri vulgò *Acad. Quæst. lib. 1.*

cla-

Tusc. l. 4. Rom. 6: 19. 2. Pet. 2: 4. clamarent Peripatetici, Illi ex adverso passiones prava opinione susceptas dixere, *ut intelligeretur, non modò quàm vitiosæ, sed etiam quàm in nostra sint potestate.* Sic hypocrisis Stoica *infirmitatis carnis, & corruptionis, quæ in mundo est in concupiscentia*, oblita vel ignara, & longanimitate Dei omnimodè abusa, sapientiam & libertatem crepat, quando insolubilibus turpissimæ servitutis nexibus innodata stultæ vanitatis pœnas dat.

5. Affectus porrò dicitur commotio, *quæ specialim ad animam refertur*, ut constet, multum interesse inter affectus & alias animæ sensationes, velut visum, auditum &c. quæ ad res externas, item, famem, sitim, dolorem &c. quæ ad corpus, referri solent. Accedit, quòd vulgò res sensui subjectas simile quid suî per sensum nobis ingerere existimemus, speciebus sensilibus per aerem diffusis & ad sensoria appellentibus. Ita videntes lumen, luminis simile quid soli, igni &c. inesse arbitramur. Idem autem de affectu opinari non solemus. E. G. Quando inimico obviam facti, odio ejus atque ira exardescimus, aut metu percellimur, non dubitamus quidem in ipso esse, quod talem affectum exciter, neque tamen affectu nostro tanquam simulacro inimicum, vel aliquid ejus repræsentari putamus.

6. Reliqua definitionis habent affectuum causas, tùm *proximam*, tùm *remotam*. Illa est *motus Spirituum animal.* quo affectus producuntur, conservantur & corroborantur. Hac ratione affectus distinguuntur à nostris *volitionibus*, quæ ipsæ etiam motiones animæ, ad eam referendæ, vocari possunt, sed ab ipsa anima *ἀμέσως* proficiscuntur. Unde rursus, quantum cum opinione discrepet affectus, colligere licet. Remota causa affectuum est Impressio, quam objecta, prout bona vel mala visa fuerint, in cerebro faciunt. Eò etiam referri debet varia cerebri temperies vel intemperies, sive in utero materno, sive consuetudine, sive casu aliquo particu-

ticulari contracta. Hinc adeò fit, ut idem objectum alios in aliis affectus moveat: E. gr. quod uni terrorem incutit, alteri animum & audaciam addat. Sic multùm diversa, etsi ferè nescii, patiuntur sanguinei, biliosi, melancholici, phlegmatici.

7. Ut quo ordine & modo affectuum causæ agant, rectiùs intelligatur, sequentia, quæ in quolibet affectu, excepta admiratione, occurrunt, haud obiter attendisse juvabit.

1. Judicium mentis, quod insequi solet confusam vel distinctam perceptionem rationis, quam habet Objectum quodvis ad nos.

2. Novam determinationem Voluntatis in Objectum particulare, quod bonum vel malum esse judicatur.

3. Sensum amoris, odii, cupiditatis, lætitiæ, tristitiæ &c. qui judicium mentis atque determinationem voluntatis continenter excipere ac comitari solet.

4. Novam determinationem cursûs spirituum & sanguinis ad viscera membraque corporis exteriora. Priusquam enim objecta quæque moveant sensum, spiritus animales per universum corpus diffusi, singularum ejus partium conservationi impenduntur. Sed objecto bono vel malo præsente suâque insolentiâ sensum movente, universa illæc œconomia tantisper quasi turbatur, tribus hisce ferè supervenientibus. 1. Plerique spiritus animales in musculos faciei, brachiorum, crurum &c. citato cursu derivantur, ut corpus in eum componant habitum, qui præsenti passioni convenit, & acquisitioni boni, vel fugæ mali inservit. 2. Sin est, ut sui cujusque corporis vires ad id præstandum non valeant, spiritus animales certam illi vocem atque clamorem ἀσυ-φώνως exprimunt, certoque vultu & habitu corpus inducunt, quibus alii ad simile πάθος commoveri facilè queant, ut laborantibus auxilio esse velint. Id quod singulare providentiæ divinæ argumentum est.

est. Quod reliquum est spiritûs animalis, ad pulmones, cor, hepar, lienem, cæteraque viscera, impetu fertur, ut novum inde commeatum sanguinis, materiam generandis spiritibus, ad actionem præsentem corpori necessarius, eliciat.

5. Sensibilem illam animæ Commotionem, qua per inopinatam hanc spirituum exundationem agitari se persentiscit. Sicut enim spiritus animales in corpore cientur, simul ac mens objecti boni malive novitate afficitur: Ita vicissim ipsa mens motu eodem spirituum animalium vehementer agitatur, ut excitata, iis, quæ sibi corporique prosunt, tantò vigilantiùs intendat.

6. Sensum denique gratum sive voluptatem quandam interiorem, quæ animum blandè detinet, ut passioni præsenti tantisper indulgere velit, imò eam quasi justificet & defendat. Hinc videas, invido suam non displicere invidiam, metuenti suum placere metum &c. Hinc iratus iræ suæ non irascitur. Causa hujus videtur esse, quia passio quæque præsens eum arguit statum, in quo animam, hujus illiusve objecti consideratione occupatam, versari, convenit. Atque hæc de affectûs natura breviter dicta sunto.

§. 2.

De Usu Affectuum in genere tenendum est, quòd sapientissimò Dei consiliò destinati sint cùm ad conservationem sanitatis, vitæ animalis, & societatis humanæ: tùm ad acquisitionem bonorum, isti conservationi subservientium.

Expl.

1. Quia Virtutis non postrema pars est, rectè uti passionibus, necesse est intelligi, quem in finem Deus, Naturæ parens, passiones nobis inserve-

feverit. Neque enim à nobis ipsis sunt affectus; neque à liberis nostris cogitationibus aut commentationibus profecti; nec quoquam aliô modô sponte nostra assumpti, vel industriâ quæsiti, cùm omnem actionem, cogitationemque nostram prævertant.

2. Affectus conservandæ vitæ animali & sociali &c. destinatos, cùm mox dicenda, tum maximè enumeratio & usus præcipuorum affectuum; suô locô, docebunt. Id verò nôsse plurimum in re Ethica habet momenti: quandoquidem virtutis sit, quidvis ad suum referre finem, & rem quamlibet suô æstimare pretiô, quod ipsum ex fine & usu rei definitionem habet.

§. 3.

De Affectuum utilitate paulò specialiùs dicturi, distinguimus Usus tùm universorum communes; tùm singulorum proprios.

Communes sunt sequentes. 1. *Affectus sanitati fovendæ adminicula sunt.* 2. *Animum disponunt ad expetendum, quæ natura nobis dictat esse utilia.* 3. *Corpus, ejusque membra ad eos componunt motus, qui rerum utilium prosecutioni inserviunt.* 4. *Ad præsentis vitæ felicitatem vel miseriam plurimum conferunt.* 5. *Affectuum interventu fructum vel damnum è rebus utilibus vel noxiis percipimus.*

De usibus singulorum affectuum propriis videbimus cap. seq.

E x p l.

1. AFfectus, ad minimum ubi per impotentiam animi effœminati modum non excedunt, vehementi spirituum agitatione idem in homine, microcosmo, præstare videntur, quod venti majori in mundo. Quemadmodum hi aërem expurgant

gant &c. ita illi sanguinem quasi ventilant, ne stagnans putrescat.

2. Quando animum affectibus disponi dicimus ad expetendum utilia, intelligi volumus, non quæ *menti* seorsim, sed quæ *nobis*, quatenus mente & corpore unitis homines sumus, vitamque vivimus animalem & socialem, prodesse queant. Sensus enim bonorum & malorum, ubi affectu aliquo incitatus & quasi animatus fuerit, multò vividior & acrior erit. Hinc affectus *animi alas & quadrigas* dixit Plato. *In Phæd.* Quoniam objecti imaginem altius animæ imprimunt, & quasi muniunt, mentique commodorum corporis aliàs securæ, & pro salute *totius compositi* segniùs excubituræ, stimulos addunt, eamque in proposito prosequendi bonum & avertendi malum tantisper detinent. Quapropter, etsi affectus in consilium rerum agendarum adhiberi non debeant, Ratione, non Affectu, eum in usum data; consiliorum tamen executioni intervenire possunt debentque. Quo sensu Peripatetici affectus dixere *Ardores animorum*, *Cotesque virtutum*. Si enim pectus ἀπαθὲς, affectu prorsus exutum gestaremus, virtutis exercitium in multis, quæ arduì quid habent, nobisque aut societati magnoperè utilia sunt, languesceret ac successu frustraretur.

3. Spirituum alteratio, quæ affectum producere solet, corpus nostrum, ejusque membra ad eos componit motus, qui prosecutioni vel aversioni rerum, quas sive naturæ instinctus sive ratio nobis prodesse vel nocere docet, subserviunt, ea quidem dexteritate, quam Voluntas & consilium humanum non tantùm nulla arte & industria imitari possit, sed interventu suo vel maximè retardaret. In quo sanè nobis Providentia Dei, ex usu ejusmodi motuum haud minùs quàm ex structura organorum corporis nostri elucescens, admirandum sapientiæ & bonitatis suæ spectaculum offert.

4. Affectus, quia sensûs sui indubitatam ingerunt

runt certitudinem, ad præsentis vitæ felicitatem vel miseriam plurimum conferunt. Exemplo sint lætitia, quæ veritatis amorem; & acquiescentia animi, quæ virtutis studium, pretsè consequi solent, mira quadam dulcedine atque voluptate animum mediis in adversis permulcentes. Rursum, anxia rerum nihili cupiditas, tristis malefactorum conscientia, pœnitudo, metus &c. animum majorem in modum discruciant & miserum reddunt. Neque hic, quantum ad sensûs veritatem & certitudinem quicquam interest inter affectum somniantis, & illum Vigilantis: quem enim nocturna perterrent insomnia, metu suo perinde infelix est, ac qui diurni mali metu & sollicitudine vexatur. Addam egregium Ciceronis locum; *Ergò is, quisquis est, qui moderatione & constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore nec sitienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quærimus, is est beatus: cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest.* Tusc. 4. *Et alibi; Quem*, inquit, *libidinibus inflammatum & furentem videmus, omnia rabidè appetentem cum inexplebili cupiditate, quóque affluentiùs voluptates undique hauriat, eò graviùs ardentiùsque sitientem, nonne rectè miserrimum dixeris?* Tusc. 5. Sic Deo placuit, in virtute ipsa quoddam esse præmium; in vitio pœnam: Ut virtutis cultor suâ virtute felix, Virtutis osor suô vitiô miser vivat.

5. Affectuum interventu verè demùm ex rebus utilibus, quem nobis afferre possunt fructum; & vicissim è noxiis, quod dare possunt, damnum percipimus. Cùm enim jucunda & utilia, quæ sensum afficiunt, nullam convenientiæ rationem habeant cum anima, neque verum animæ bonum contineant, ea, nisi affectu aliquo amplexa fuerit, ne quidem possidere dici potest. Sic quæ injucunda & noxia

noxia in rebus externis habentur, non nisi doloris & tristitiæ sensu talia sunt atque nocent.

6. Atque hinc patescit, quomodo affectus conservandæ sanitati, vitæque animali & sociali inserviant. Id verò nobis cavendum, ne illos ab usu & fine, in quem dati sunt, exorbitare patiamur. Sicut sensus dedit Naturæ Parens Opt. non eò, ut regulæ loco essent indaganti veritatem; id enim officium est intellectûs, cui sensus suô quique locô & modô subserviunt, commodo corporis præcipuè dati. Sic affectus inservit idem, non ut normæ vel ducis vicem præstarent agenti; id enim legis, conscientiæ & rationis munus est, cui affectus subesse oportet. Totô igitur cœlô aberrant, qui affectibus verum solidumque animæ bonum acquiri, possiderique posse autumant, obliti vel potius ignari hujus veritatis certissimæ; *Quicquid est ex corpore, idem est pro corpore.* Cùm passiones nobis obveniant à corpore, proclivem esse ad agendum propter illas, est velle agere propter corpus, eique servire.

7. Ex dictis consequitur etiam, oppidò falsam esse Stoicorum sententiam, qui affectus omnes naturâ suâ malos, & à sapiente alienos, *morbos* quippe *animi, motus inimicissimos mentis, vitæque tranquillæ, tabificas mentis perturbationes, amentiam, insaniam stultorum*, & quid non? dixere, ex immoderato Peripateticis contradicendi studio, & impotenti inanis gloriæ affectatione, qua Stoici sapientis imago pellucet. Sententia isthæc. 1. *Stulta* est. Dum enim, obtentu concordiæ beatæque tranquillitatis animo conciliandæ, affectus omnes, tanquam naturâ malos, exterminari jubent, perinde ineptè faciunt, atque si quis metuens, ne ulla intemperie corpus infestetur, omnes inde humores pharmacis purgantibus expelli: vel metu dissonantiæ omnes lyræ chordas discindi vellet. Idem scitissimâ
Lib. XIX. c. 12. fabulâ adumbratum ab Herode Attico videsis apud Gellium in Noctib. Atticis. 2. *Noxia* est. Periculosæ

culosæ plenum opus aleæ est, istam Stoicorum sententiam Religioni & Societati humanæ obtrudere. Numquid enim periculô careret, si quis obtentu studii, nescio cujus, affectatæ & imaginariæ tranquillitatis ferre posset sine ulla animi commotione, quod turpissimè & perlicenter contra communia humani generis jura, & æternas virtutis leges, committitur? Quid? quod insolentissimi dogmatis audacia virtutem exarmet, Oratoriæ vires elidat; Poëticæ gratiam auferat, & tantùm non omnia societatis humanæ vincula dissolvat. 3. *Impia* est. Cùm enim Affectus unà cum sensibus & imaginatione, quos insequi solent, ipsum Naturæ Parentem Opt. Sapientiss. habeant authorem, mali suâ naturâ, citra impietatem, dici nequeunt. Nihil pestilentius, pietatique magis inimicum fingi potest nequissimâ illâ opinione, quæ Veteres quosdam Hæreticos infatuavit, *Deum quoquô modô mali esse authorem*. Sic enim necesse est, procul omni amore & pietatis sensu horreri tantùm, quem ut authorem mali, & simul vindicem ejusdem acerrimum considerari & credi vellent. *Deus non est author ejus, cujus est ultor.*

8. Atqui affectus, inquit Stoa, pervertunt rationem, & irritamina sunt malorum. Resp. Distinguendæ sunt passiones ab effeminatione & proclivitate ad agendum ex passionibus: labes & turpitudo non in illis, sed in hac residet. Animus velut connubiô quôdam cum corpore copulatus proclivitate illâ suâ se quodammodo virum præbet uxorium; in quem quadrat illud Poëtæ; *Uxori nupsit turpiter ille suæ.* Sed de his plura suô locô.

§. 4.

Dicenda restant Incommoda, quæ ab affectibus in corpus atque mentem redundant, ubi non admissô vel excussô Rationis jugô enormiter & licenter tumultuantur. Ea igitur recensebimus, posthac etiam malorum fontem reclusuri.

Affectus abnormes

1. *Incommodant corpori, turbando œconomiam animalis, vastando sanitatem* &c.
2. *Incommodant menti, dum* 1. *Tenebras q. offundunt intellectui, ut quod verum est cernere non possit.* 2. *Judicium corrumpunt.* 3. *Rationem de throno dejectam in servitutem redigunt abjectissimam.* 4. *Tranquillitatem animi interturbant, vel omnem intercipiunt.*

Expl.

1. Quemadmodum ad corporis sanitatem fovendam, vel, sicubi ea fuerit afflicta, restituendam, non parum valent affectus, præcipuè qui justam sanguinis & spirituum temperiem consequi solent: sic vicissim ad eam atterendam & debilitandam non parum momenti habent iidem, ubi modum excedunt. Id quod de tristitia, metu, ira, invidia &c. plus satis constat.

2. Tantò graviora sunt, quæ mens inde facit damna, quò ipsa præstabilior est corpore: Primam affectus exorbitantis culpam luit intellectus. Turbant enim affectus effrenes animum haud secus atque venti mare, procellæ undas: ut mens disciplinam veritatis non magis, quam imaginem turbata admittat aqua. Quod exemplis amoris, philautiæ, invidiæ &c. facilè ostenderim. Hinc verissimum illud Euripidis;

Ple-

Plerosque morbus vexat hic mortalium
Sanè ut sapientes, non tamen sententiam
Mutare, amore victi amicorum, velint.

Et illud Horatii;

Nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Id verò de universis passionibus usque adeò verum est, ut vulgò plerique omnes, res non ex sua natura, sed nostris affectibus æstimare consuevérimus, mutatis affectibus, res ipsas etiam mutatas credere proclives: velut infantes, qui per vitra rubra prospiciunt, res visas eodem colore tinctas, sibi persuadent. Nonne sunt, quibus nihil eorum, quos oderunt, laudandum probandumve videatur? quorum si vel opinioni, vel voluntati, vel commodis, adversatus fueris, illicò temerarius, arrogans, ignorans homuncio, cui nec fides haberi, nec honor deferri debeat ullus, videbere. Quemcunque illi amaverint, eo nomine culpâ vacabit, exemptus omni labe & vitio: quicquid desiderant, justum erit & facile: injustum contrà id, cujus nullô tanguntur desideriô. *Verum putant haud ægrè, quod valdè expetunt.* Ex affectu scil. suo, qui ipsos occæcat, metiuntur omnia. Rectè ait ille; *Impedit ira animum, ne possis cernere verum.* Id quod in omnes quadrat affectus, unum nôris, omnes nôris.

3. *Si lumen, quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Fieri igitur nequit, quin affectus enormes offusa menti caligine etiam judicium pervertant. It fit 1. In *præjudiciis.* Mens affectibus obnoxia facta judicium de re qualibet, nec dum comperta, præcipitat. Logicæ analyticæ præceptum est, *Ad lectionem hujus, illius, Authoris ac-*

accessurus priùs discipulus, quàm censor esse velis. At qui bonam malamve de aliquo opinionem imbibit, affectui obsequens suo, scripta ejus etiam non lecta, nedum intellecta, probabit, vel improbabit. 2. In *erroribus*, quorum abundè satis ex affectuum enormitate enasci, maximo scientiarum, societatisque humanæ damno, quotidiana testatum facit experientia.

4. Affectus enormes Rationem, quæ primitùs dux atque moderatrix data actionibus & motibus humanis, de præsidiatu dejiciunt, turpissimamque in servitutem præcipitant: unde Lerna malorum inexhausta. Affectuum enim licentia, indulgente sibi imbecillitate animi, vires usque & usque acquirit eundo, nec ubi sistat, facilè locum reperit. Hinc tot vitiorum mancipia: hinc tàm fœcunda culpæ secula: *hinc audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas.*

5. Denique sicut procellosa tempestas alto mari incumbens fluctus ad intimos usque littorum recessus & portus propellit, naviumque stationi incommodat, ut vel in portu naviganti vix liceat esse tuto: ita affectuum tempestas non in corpore tantùm turbas ciet, nec intra inferiorem illam, quam vocant, animæ regionem coërcetur, sed ad intimum quasi mentis recessum penetrat, ipsumque tranquillitatis portum invadit, pacem ubique turbatura.

§. 5.

Fons istorum malorum in Genere quidem est Impotentia Carnis, *sive universalis illa naturæ humanæ corruptio. In Specie est* 1. *Incuria, quâ fit, ut quod se affectui commendat, simpliciter & absolutè bonum existimemus.* 2. *Defectus tùm claræ cognitionis boni & mali; tùm firmi propositi semper agendi & prosequendi, quod ratio & Conscientia probè informata optimum esse judicaverint.*

EXPL.

1. Mala recensuisse satis non est: inquirendum, unde promanent, ut vel prævenias, vel prævenientibus certiora atque commodiora remedia invenias. Causam istorum malorum in genere secundùm Scripturam S. agnoscimus *Impotentiam carnis*, sive universalem illam Naturæ nostræ corruptionem, per quam *homo animalis*, sibi permissus, *le-* Rom. 8: 7. *gi Dei non subjicitur, nam nec potest.* Quapropter totus, voluntate, affectu, omnibus mentis facultatibus, corporisque membris, servitutis turpissimæ vinculis constrictus tenetur: imò *ἐν φθορᾷ τῆς ἐπιθυμίας, in corruptione concupiscentiæ*, quasi sepultus, cadaveris instar, malis verminat. Quò alludens Apostolus *corpus mortis, mortuos in peccatis*, & *opera mortua*, dicere solet. Pravi motus concupiscentiæ, appetitus & affectus habent instar verminum in hoc cadavere. Cæterùm impotentia carnis in regenitis quidem fracta & debilitata, nec dum tamen penitùs extincta est: unde, quoad vivunt, adversus carnem, quæ per sensus & affectus scandalizantes maximè se prodit, indesinenter luctantur, sæpiusque peccant, non quidem ut non amantes bonum, nec exosi malum, sed *præoccupati & abre-* Gal. 6: 1. *pti: bonum, quod volunt, non facientes &c.* Rom. 7: 19.

2. Corruptio Naturæ æqualis est in universis Adami filiis communi lege ex ipso satis: pariter *corruptionis servi* sunt omnes nascendi sorte, ad quidvis mali proclives, ad bonum inepti: etsi pro diversitate mixturæ corporis, ætatis, sexûs, educationis, regionis, conditionis &c. alii ad hoc, alii ad aliud vitii genus insigniter proni reperiantur. Velut in quibus bilis prævalet, iracundi; in quibus sanguis, libidinosi, habentur: tùm verò huc juventus, illuc senectus propendet &c. Atque hæc non majoris minorisve corruptionis argumenta sunt, sed solummodò ostendunt, quà maximè velut æstuans mare pro-

Esai. 57. 20. prorumpat, sordesque suas egerat, vel oppositis quasi repagulis coërceatur.

3. Specialis causa incommodorum, quæ ex affectibus existunt, *incuria* est. Ferè namque non animadvertimus, quod res externæ bonæ vel malæ affectum moveant non ratione, omnium qualitatum, quas habere possunt varias, sed solùm ratione relationis, quam habent ad nos, & modorum, quibus prodesse vel nocere possunt. Hinc adeò fit, ut de re qualibet ex affectu, non qualis in se est, sed qua facie se commendat sensui, judicantes, veritatem & utilitatem, quasi unum idemque forent, confundamus. Ergò veritatem indaganti malè affectus in consilium adhibetur. Quinimò tantum abest, affectu, quid simpliciter & absolutè bonum malumve sit, nos doceri, ut contrà bonorum atque malorum externorum speciem sensui oblatam amplificet. Unde quò quid jucundius apparet, hôc melius etiam judicatur, tantoque avidiùs expetitur, affectu voluntatem nullô rationis præsidiô munitam in obsequium rapiente.

4. Verissimè igitur Affectuum incommoda etiam rejiciuntur in defectum claræ cognitionis, firmique propositi, id unum semper agendi, & prosequendi, quod ratio & conscientia optimum judicaverint. Ipsa enim cognitio rei, firmumque animi propositum haud dubiè affectui modum ponerent, ejusque impetum inhiberent. Si rem quamque suâ naturâ satis exploratâ & usu æstimaremus, citò defervesceret insanus affectus atque studium, quô vel vanissima sectari solemus, verorum bonorum securi. Mensura ejus quod res quæque valeat maximè naturalis est indigentia, quam quia vulgò non Ratio, sed affectus definit, etiam pretia rebus statuuntur iniqua.

In Verr. Verissimè Cicero de signis, *qui modus est*, inquit, *in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis.* Et Plinius ait, *Conchylia & purpuras omnis horaattérit, quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis pretia fecit.* *Lib. 9. c. 35.* Malis mox enumeratis remedia opportuniùs quæremus alibi.

CAP.

CAP. VII.

De Affectibus in specie: eorumque Usu.

§. 1.

Affectus distribuuntur in Primitivos, qui ex nullis aliis orti, atque adeo simplices sunt: & Derivativos, qui ex quibusdam illorum variè componuntur, illorumve species sunt.
Primitivi sunt sex; Admiratio, Amor, Odium, Cupiditas, Lætitia, Tristitia.

Expl.

1. Sic missa distinctione vulgata affectuum ex *Appetitu concupiscibili & irascibili*, quæ ipsâ vocum insolentiâ & caligine horrifera est, omnium clarissimè & simplicissimè affectus distribuit maximus hujus seculi Philosophus, in tractatu auro contrà caro, *de passionibus animæ*. Hæc Philosophiæ pars, usum habens præcipuum in Ethicis, etiam inter præcognita disciplinæ moralis quàm maximè commendari meretur. Nobis constitutum est, affectuum genera breviter perlustrare, eorumque usum ostendere, prolixiori illorum explicatione ex Authore mox laudato repetendâ.

2. Affectuum primitivorum ordo & distinctio hac ratione deprehenditur. Quamprimum novi quid & insolentis occurrit, animam percellit & extraordinariam in attentionem rapit, quæ *admiratio* est, passionum prima, quippe mentem occupans priùs quàm illi compertum est, gratumne futurum sit objectum, an ingratum, bonum, an malum.
Idem

Idem verò posthac ubi sub ratione boni vel mali consideraverit, amorem aut odium excitat. Bonum porrò vel malum, si obversentur animo ut futura, accendunt cupiditatem, bonum quidem habendi, malum verò amoliendi. Si denique ut præsentia cogitentur, Bonum lætitiam; Malum tristitiam parit.

§. 2.

Admiratio est subitanea animæ commotio, quâ fertur in attentam considerationem objectorum, quæ rara & insolita videntur.

U s u s.

1. ADmiratio nova discendi & investigandi dexteritatem atque ardorem acuit, *scientiarum* inde *Mater* dicta: ut vel hinc quem adolescentis studia profectum sperare jubeant, haud obscurè conjiciatur: quando ad admirationem nati deprehenduntur, quotquot Viri docti evasere.

2. Altiùs memoriæ imprimit observata. Pertinax illa inspiciendi diligentia, spiritibus ad locum impressionis in cerebro factæ confluentibus, mentisque attentionem in rem novam defigentibus, poros cerebri confertim adaperit: hinc spiritibus impressionis vestigia facile relegentibus, recordandi promptitudo existit, ut quod pueri didicimus, etiam adulti & senes haud difficulter in memoriam revocemus.

3. Quare qui ingeniô utcunque valent, nec magnificè de se sentiunt, omnium maximè in admirationem feruntur. Qui rem sive scientiâ, sive usu compertam habent, admirari desinunt: quando etiam quæ consideratione dignissima sunt, familiaritate vilescunt. Qui nova sine admiratione intuetur, vel hebes est suâpte naturâ & stupidus; vel atro-

arrogans, qui magnificè nimis de eruditione sua sentiens, talis videri cupit, cui nihil rari & insolentis offerri queat.

4. Admiratione eò destinatâ, ut rebus investigandis serviat, qui cupidine tenetur contemplandi nova, eo solùm fine, ut admiretur, à fine hujusce affectus aberrat, ordinemque naturæ pervertit, &, admirandi studiô in morem vertente, tandem in *Mirionem* abit, qualvis vel minimi momenti res promiscuè cæca curiositate demiraturus.

§. 3.

Amor est commotio incitans animam ad se voluntate, i. e. consensu, *jungendum cum objectis, quæ ipsi convenientia videntur.* Imò amans seipsum considerat ceu jamjam junctum rei amatæ, conceptô quôdam veluti totô, cujus se *unam*, rem amatam verò *alteram* esse *partem*, arbitratur.

Odium ex adverso animam incitat, ut separari velit ab objectis, quæ offeruntur ut noxia. Ita qui quid odiô prosequitur, se solum spectat ut *totum* penitus à re, quam aversatur, separatum.

Amor vel secundùm existimationem rei amatæ apud amantem; vel secundùm boni amabilis differentiam, dividitur.

Priori modo; *Alius est Amor Benevolentiæ, quô amans seipsum re amata majoris facit: Alius Amicitiæ, quô amatum apud amantem tantidem est, atque ipse sibi: Alius Devotionis, quô amans amatum majoris æstimat se ipsô.*

Posteriori modo; *Amor alius est Honestatis, virtute amati nitens: Alius Utilitatis, ex commodo percipiendo, vel percepto, natus: Alius denique Jucunditatis è re sensui jucunda progenitus.*

Odium duplex est: Unum, *quô deformia, quæ sensus offendunt, aversamur*: unde *Horror*, vel *Aversatio* dicitur. Alterum, *quô mala, quæ Rationi talia* viden-

videntur, ut sunt vitia, *aversamur*. Hoc nomen generis retinet.

Cupiditas est agitatio animæ, quâ incitatur, ut assequi velit rem, quam sibi conducibilem cognoscit. Hæc igitur in futurum, opinione saltem concupiscentis, se exporrigit, boni absentis possessionem, præsentis conservationem, mali cùm præsentis, tùm ejus quod evenire posse creditur, aversionem, exambiens.

Cupiditatis è studiorum Vulgi varietate distinctio innumeras propemodum pareret species. Sic alia est *Cupiditas cognoscendi*, *Curiositas* dicta, Alia *cupiditas gloriæ*, *ambitio*; alia *divitiarum*, *avaritia*; alia *vindictæ* &c. Sed notatu digniores, eæque validiores sunt Cupiditatis species, quæ ex *Horrore* & *Complacentia* nascuntur.

Cupiditas ex Horrore facit, ut anima quicquid habet virium, ad evitandum malum explicet. Hæc ubique vehementissima est, horrore à Naturâ destinato ad repræsentandum mortem repentinam & inopinatam. Hinc tametsi nonnunquam vel solus vermiculi tactus, aut tremuli folii strepitus, aut umbra nostra horrorem nobis incutiat, nihilominus primo obtutu perinde commovemur, ac si periculum mortis evidens sese sensibus offerret.

Cupiditas ex Complacentia est, qua anima appetit quod sensibus arridet. Hujus pro bonorum expetendorum utilitate majorem minoremve contingit esse vehementiam. Segniùs cupiditatem movent, quæ sola spectandi voluptate delectant, ut pictura, flores &c. Vehementiùs, ad quæ expetenda stimulat natura: qualis est cupido, qua homo satis habens ætatis fertur in personam alterius sexûs, quam sibi persuadet alterum fieri posse seipsum. Vehementissimè verò, quibus natura carere non potest: qualis est cibi, potûsque appetentia.

Cupi-

Cupiditatis porrò ex hominum *ingenio*, *mixtura corporis*, *ætate*, *sexu*, *conditione*, *metu* &c. mira est varietas, alternantibus indidem etiam ferè de eo, quod conducit, sententiis. E.G. Juveni voluptas; Seni victus præcipuè in votis est: Illi futurorum securo, rei faciundæ vel servandæ studium est nullum; Hic metuens ne desit, quo victitet, ad rem præter æquum attentior est. Unde ex profusissima juventa sæpè nascitur triparca senectus.

Lætitia est jucunda animæ commotio, orta ex bono præsenti, quod sibi ut suum repræsentat. In hac boni cujusque possessio consistit, animâ nullum alium è bono, quod possidet, fructum percipiente: adeò quidem, ut absque lætitia sit, non magis bonô fruatur suô, quàm si eo prorsus careret. Unde qui re sua tenui lætatur, reapse ditior est illo,

Qui Nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum.

Lætamur *bonô nostrô*, eoque *præsenti*. Quòd si quem lætari contingat malô alterius, cum necesse est *malum alienum* reputare *bonum suum*. Si lætetur *bonô alterius*, id ex amore *suum* arbitratur. Si lætetur *bonô futurô*, id eventûs certitudine *præsenti* æquiparat.

Lætitia, quæ passio est, differt ab illa *Intellectuali*, *quam anima in semetipsa excitat*, *bonô ab intellectu cognitô*. Hæc quàm illa propiùs animam tangit, penitiùs afficit, pleniusque occupat; quippe ex ipsamet etiam volente enascens, non aliunde supervenient: quâ si fruatur, etiam in tristitia felix esse non desinit. Exemplo sit, quem malefactorum recordatio contristat: hic secum cogitans, eam ipsam tristitiam resipiscentis esse officium & argumentum, lætitiam è tristitia concipit. Dulcissimi

cissimi demùm, solidissimique gaudii intellectualis mater & nutricula est Conscientia, quæ improperium non facit.

Tristitia est injucunda commotio, orta ex malo præsenti, quod anima sibi ut suum repræsentat. Hæc ægritudo est & languor animæ, in quo omnis consistit incommoditas, quæ ex malo quovis nostro provenire potest: imò mala demùm reapse sunt, quod esse dicuntur, ubi animo ægrè faciunt.

USUS.

1. AFfectuum istorum quinque primitivorum usus non est obscurus. Quicquid grati accidit, lætitia sive voluptate permulcet animum: hæc amorem conciliat boni, quod voluptatem affert: Amor denique repetendæ, continuandæ, adaugendæ voluptatis cupiditatem accendit. Contrà si ingrati quid accidit, tristitiam: tristitia odium: odium denique mali amovendi cupidinem parit. Atque in his ferè salus & incolumitas animalis versatur.

2. Id verò, quod notatu non indignum, passiones maximè omnium ingratæ non minus præstant, quàm quæ gratissimæ sunt, odium intelligo & tristitiam: quia non minùs ex malorum præsentia, quàm ex bonorum defectu, vitæ periculum est. Imò majori sollicitudine malis amoliendis, quàm voluptati fruendæ Natura prospexisse videtur; animalibus plerisque eloquentiâ quâdam efficacissimâ instructis, ad movendam commiserationem, impetrandamque opem, quoties tristitiâ & dolore opprimuntur. Hinc querulus ille flebilisque vocis tonus, vultus mœstus atque dejectus, ejulatus, gemitus, lachrymæ, suspiria, & id genus alia, quæ certè vim habent maximam ad permovendum miserationem animum, quô promptiùs opem feramus, aut

oat maturius ab injuriâ cœptâ desistamus. Quod etiam Scena verum testatur. Rectè enim Poeta;

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu.

Hor. de arte Poet.

Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit & angit.
Post effert animi motus interprete lingua.

3. Neque tamen omninò deest Natura ea in parte, quæ gaudium atque voluptatem spectat. Oculi enim ludibundi lætantium, vultusque blandè relucens, aspicienti multò gratiores sunt. Quod lætitiæ effectum ad motum urbanitatem, mutuumque placendi studium, quoddam quasi Naturæ illicium est. Ergò, ut rem in pauca conferam, si & hic Naturæ vocem exaudire & interpretari velimus, *Amore* & *Odio*, *Lætitiâ* & *Tristitiâ* submonemur, ut quod nobismetipsis aliisque bonum est, quantumpote, procuremus & conciliemus: malum ex adverso tum à nobismetipsis, cùm ab aliis, quàm diligentissimè & officiosissimè amoliamur.

4. Diligentia porrò animatur à cupiditate, passionum omnium excitatissima. Verùm si feliciter, & pro voto eum ferri velimus, *ἥρωιαν τῶν πραγμάτων* veteribus prædicatam amantes, potestate voluntatis ita definienda est, ut *ne velis, ubi nihil vales*: neque priùs cupiditati indulgeas, quàm quod præmeditatum animô destinaveris exequi aggrediatis: neque etiam, quæ imprudentium fiducia est, fortunam tibi spondeas. Secùs, si quid interveniat, quod destinata prohibeat, malè sana cupiditas tantò plus anxietatis, atque doloris, frustrationi, casibusque inaffuctio dabit, quò vehementiùs antè concupi-

De Tranq. c. 13. cupiveris. *Necesse est*, inquit Seneca, *leviùs ad animum pervenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum utique non promiseris.*

5. Devotionis amor, quasi viva Naturæ vox, nos edocet, esse *aliquid*, quod nobismetipsis carius & antiquius habere debeamus, & pro quo vel capita devovere non dubitemus. Hujus ergò passionis usus in Religione & Politica insignis est: quando ejus officia Religioni, Principi & Patriæ, vel ut compendiò dicam, Deo atque virtuti, modò quæque suô & gradu, debentur. Amore amicitiæ, velut animorum coagulô Societas humana carere non potest.

6. Cupiditas ex complacentia & horrore, cùm decori atque turpis discrimen suggerit, nequicquam reclamante Atheorum impietate, qui omnia habent promiscua; tùm verò providam Naturæ curam, pro singulorum salute, generisque humani conservatione excubantem, arguit. Id quod manifestò apparet in *horrore*, quô veluti datô signô pericula cavere jubemur; & in *amore*, quô justæ ætatis homo in generis sui propagationem propendet, & ex se genitos amplectitur. Ille *amor*, etiam speciatim sic dictus, *si sit passio omnium importunissima*, ostendit Mor. Ench. Eth. l. 1. c. 9. Naturæ *sollicitudinem de continuanda humana specie. Quod sanè facit tanto astu & industriâ, ac si mallet præstigiatrix videri, quàm homines ad opus tàm necessarium non efficaciter rapere. Sed cùm finis hujus ardoris tàm conspicuus sit, monemur ad quam mensuram sit moderandus.* Hunc porrò amorem vulgandum non esse Natura ipsa docet. Quanquam homines sexu discreverit, & præterea tales esse fecerit, qui certa quadam ætate se considerent singuli velut mediam partem unius *Totius*, cujus persona alterius 1. Cor. 6: 16. sexûs debeat esse pars altera: non tamen facit, ut plus unâ mediâ parte opus esse imaginentur. *Erunt duo in carnem unam.*

§. 4.

Affectuum Derivativorum quatuor sunt Classes.
Prima Classis admirationis species habet; quæ sunt Existimatio & Despectus: Veneratio & Dedignatio.
Existimatio est admiratio magnitudinis vel valoris rei.
Despectus est admiratio parvitatis vel vilitatis rei.
Utraque ad nos relata maximè observabilis est, in *Generositate* & *Humilitate. Illa facit, ut quis seipsum æstimet & æstimari velit ex sola virtute. Superbia* huic opposita *facit, ut bonam quis de se concipiat opinionem ex quavis alia causa, præter virtutis conscientiam.*
Humilitas est qua quis infirmitatis suæ & errorum conscius ita modestè de se sentit, ut nemini se præferat, & quos in aliis notat lapsus, imprudentiæ potiùs quàm malitiæ tribuat, similiter & se lapsum olim, & porrò labi posse persuasus.
Huic opponitur *Abjectio, vitiosa illa humilitas, quâ quis se usque adeo imbecillem, parumque constantem sentit, ut existimet, se plurimis rebus, quarum acquisitio ab aliis pendet, carere nequaquam posse.*
Veneratio est inclinatio animæ ad eminentiam alterius reputandum, virésque, quibus prodesse vel nocere possit, metuendum, cum obsequiosa subjectione, favoris impetrandi gratiâ.
Veneratio vel *Religiosa* est; vel *Civilis.*
Religiosa, ubi anima venerationis suæ objectum usque adeo supra se constitutum admiratur, ut nullatenus cum eo comparari se posse sentiat.
Civilis, ubi anima venerationis objectum hactenus se superius ita existimat, ut nihilominus commune quid cum eo habere se non nesciat.
Dedignatio est affectus inclinans animam ad contemnendum liberum Agens, quod etsi benè vel malè faciendi capax sit, adeò tamen infra nos esse judicamus, ut neutrum facere posse persuasum habeamus.
Veneratio igitur affectus ex admiratione & metu;

ficut dedignatio ex admiratione & audacia five fecuritate, compofitus eft. Neque nifi caufas liberas venerari vel dedignari folemus, quas benè vel malè nobis facere poffe conftet, tametfi, utrum fint facturæ, nos lateat. Gentilitas quidem fylvas, montes, flumina, fontes &c. deveneratur, Numina, quæ mortalibus benè vel malè faciendi poteftatem haberent, illis adeffe, ftultè perfuafa.

U s u s.

1. NOn omnia promifcua habenda: alia pluris, minoris alia: quædam magni, nonnulla nihili: fingula fuo ex ingenio & utilitate effe æftimanda, docent mox enumerati affectus. Cumprimis hominem quemvis aliquid effe, eôque numerari locô debere, quo fit fupra omnem injuriam & contemptum, argumento funt *Exiftimatio fui*, & *Defpectus*. Cùm enim tàm facilè adducamur, ut nofmetipfos aliquid effe credamus, tametfi non ferè multùm differamus ab aliis, æquum utique eft, alios etiam homines non pejore effe loco apud nos.

2. Generofitatis infignitior eft Ufus. Parata enim femper exequi, quod Ratio & Confcientia probè informata præfcribit, & *cuncta putans una virtute minora*, fummæ felicitatis affequendæ ftudium acuit, animumque in adverfis, nequicquam virtutem tentantibus, invictum præftat. Eadem quoque *Venerationis & Dedignationis* ufum moderatur. Generofus enim, nihil virtute majoris, nilque vitio minoris faciens, quemque ex virtute æftimat atque veneratur, memor ejus quod habet Poëta;

——— *Aut virtus nomen inane eft,*
Aut decus, & pretium rectè petit experiens Vir.

Atque fic Generofus non folùm demiffiffimè & fubjectiffimè Deum venerabundus adorat, verùm etiam uni-

unicuique pro ordine & loco, quem inter homines obtinuerit, honorem habet.

3. Contrà qui animi sunt abjecti & imbecillis, quia virtuti quævis alia antehabent bona, iniquissimi honoris dispensatores sunt, reverentes utplurimum eos, qui solo contemptu digni sunt, & insolenter dedignantes, quos omni laude cumulatos oportuit. Tales sæpe ab extrema impietate ad superstitionem subitò prolabuntur, mox per occasionem ab hac ad illam relapsuri, quippe à nullo vitii genere alieni.

4. *Venerationis* in Religione & Societate politica utilitas est permagna: nec obscure indicat eadem, esse Deum cunctis rebus, in primis autem homini, providentem, summe & religiosissime venerandum. Potestati deinde Civili, *ministræ divinitus ordinatæ* Rom. 13. & *gladio armatæ*, *necesse esse nos subjici*, *non tantùm* 4. 5. *propter iram*, *sed etiam propter conscientiam*.

5. *Dedignationis* usus maxime spectabilis est, ubi Vir amans veri, æqui, & justi, nec minis, nec pollicitationibus, à laudabili proposito dimoveri se patitur. Sic *Socrates Anitum* & *Melitum* despexisse perhibetur, certus, quòd etsi occidere innocentem, lædere tamen non possent injuriæ exortem. Malim ego exemplo nobis esse Martyres, *qui Christum impavidi quondam cecidere professi*.

§. 5.

Secunda Classis habet affectus ex amore & odio nascentes.

Amoris species sunt Favor & Gratitudo.

Favor amoris cum cupiditate conjuncti species est, quâ bonum cupimus evenire illi, in quem prona ferimur voluntate.

Gratitudo amoris est species, excitata ab Actione alterius, qua nobis benefecisse, vel benefacere in animo habuisse, credimus.

Odii species sunt Indignatio & Ira. Illam nobis concitat, qui mali quid facit, quale quale est. Hanc concipimus in eos, qui non promiscuè quibusvis, sed nobis speciatim malè fecere, vel minimum, malefacere conati sunt. Eô igitur ab indignatione differt ira, quòd proficiscatur ab actione mala, quæ nos tangit, & cujus ulciscendæ cupiditate tenemur.

Usus.

1. Ex usu vitæ humanæ & civilis esse hosce affectus palàm facit eorundem definitio. Favor & Indignatio idem ferè significant, quippe affectus inde orti, quòd quædam rectè, alia secùs ab hominibus fieri arbitremur. Universæ autem istæ passiones Justitiæ, quâ commutativæ sive Explerricis, quâ distributivæ, sive Attributricis, indices sunt adeò diserti, ut partes quædam ejus videri possint. Cæterùm morosi est & difficilis, indignari multùm de rebus parvi momenti: Injusti est, indignari de rebus, quæ vituperari nequeunt: Inepti absurdique, non contrahere hunc affectum ad actiones humanas, Deoque indignari velle: quod audent, qui, *quam sibi sortem seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa* non contenti regimen Mundi & arcana Providentiæ carpunt atque maledictis insectantur.

2. Iram utiliter à natura datam esse pluribus argumentis contendunt Peripatetici apud Ciceronem, *Tusc. 4.* ubi inter alia, *cotem fortitudinis esse dicunt, multoque & in hostem, & in improbum civem vehementiores iratorum impetus esse: leves autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent; prælium rectum est, hoc fieri: convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc nullam habent vim, nisi irâ excanduit fortitudo &c.* Addit tandem, *Virum videri negant, qui irasci nesciat.* Iram hactenus usui esse, nemo prorsus cum ratione negaverit, dum vires ministrat, animumque addit

addit propulsandi injurias, *Virtutis*, ut ille ajebat, non dux, sed *verus custos*, *vigilnsque satelles*. Attamen nusquam facilior quàm in ira, nusquam periculosior, est excessus. Est enim in lubrico, incitataque semel in proclive labitur, sustinerique nullo modo potest: Unde judicium turbans sæpè sæpiùs ad faciendum impellit, quod post fecisse pœniteat: quinimò haud rarò accidit, ut irâ incitato non perinde facilè, atque irâ vacuo, minùsve commoto, injuriarum propulsatio succedat.

§. 6.

Tertiæ Classis affectus derivativi sunt, quos ducit Cupiditas. Eorum duæ sunt Species.

In prima numerantur Spes, Metus, Securitas, Desperatio & Zelotypia.

Spes est Cupiditatis gaudio mistæ species, quâ moti nobis persuademus, id eventurum quod cupimus.

Metus contrà est cupiditatis mœrore quodam mistæ Species, quâ nobis persuademus non eventurum, quod in votis est.

Securitas est spes eousque vigoris proficiens, ut omnem metum expellat.

Desperatio contrà metus est omni spe destitutus.

Zelotypia ex cupiditate, tristitia & existimatione conflata passio facit, ut quis sola suspicione ductus metuat ne bonum æstimabile, quod habet, vel habere concupiscit, percat.

USUS.

1. SPes impellit ad agendum. Cùm verò spei fomes sit bonum sæpè possibile verius, quàm futurum, & insuper impetratu arduum, quo nomine metum afferre solet, Optimus Naturæ Parens animum spe obfirmatum adversus difficultates luctari voluit. Hinc ibi spei nullus est usus, unde

omnis exulat metus. Quapropter spem eleganter
Heb. 6. 19. *ancoram* dixit Apostolus: Anchoræ, nisi mari ventorum vi agitato atque turbato, usus non est.

2. Metum Natura dedit, ut cautè agamus & diligenter. Unde ejusdem in Civitate usus est præcipuè conspicuus, quando hominum sic est ingenium, ut spe præmii, metuque pœnæ duci ament; & adversus improborum, qui numerô vincunt semper, licentiam Reip. securitati vix aliter, quàm justæ ultionis metu consuli queat. Indigna autem Principe Viro vox est, *oderint, dum metuant.* Verissimum contrà illud Terent.

Adelph. 1.1.41.
——— errat longe meâ quidem sententiâ
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adjungitur.

Exemplo sit Artabanus *sævus in pace & adversis præ-*
Ann. VI. 36. *liorum exitiosus*, de quo inter alia Tacitus; *Adspernantibus paulatim qui metu magis, quàm benevolentiâ subjecti, repertis auctoribus, defectionis, sustuleram animum.*

3. In securitate remedium est curis supervacuis. Desperatio animum ab instituto non successuro revocat, studiisque melioribus spem non frustraturis curas impendi jubet.

4. Zelotypia Custos est Bonis, quæ maximi fieri merentur, tuendis addita. Sic laudabilis est Zelotypia, quæ Matronæ honorem integrum atque illibatum servat. Vix satis laudanda Præsidis Zelotypia, quæ ipsum Vigilacem, urbemque vel arcem, fidei atque tutelæ ejus commissam, inexpugnabilem reddit. Ex adverso turpis est & ridicula, exempli causâ, avari Zelotypia, qui thesauros splendidum terræ lutum, irretortô oculô perdius spectat, iisdemque pernox indormit: cum falsè ridet Poëta.

Horat. I. 2. Sat. 3.
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum.

Alte-

Alterius speciei affectus in tertia Classe annumerandi, sunt *Animi fluctuatio*, *Animositas*, *Audacia*, *Æmulatio*, *Pusillanimitas & Consternatio*.

Animi fluctuatio metûs est species, quæ animam, quid agat incertam, quasi in dubia lance retinens impedit, ne quicquam exequatur.

Animositas Cupiditatis lætitiâ fotæ species est, incitans animum ad agendum viriliter in executione rerum, quas meditatur, cujuscunque sint generis.

Hujus genera sunt Audacia & Æmulatio.

Audacia animositas est, disponens ad viriliter agendum cum periculo.

Æmulatio animositas est pro causa externa habens exemplum.

Pusillanimitas, animositati opposita, est languor sive frigus à rebus aggrediendis & gerendis avocans.

Consternatio, audaciæ opposita, stupor est animæ facultatem resistendi malis imminentibus intercipiens.

U s u s.

1. Usui est animi fluctuatio in dubiis, quoties deliberandum est diu, quod statuendum est semel, ne præcipites. Cavendum verò, ne animo indulgente affectus invalescat, tempusque rerum executioni dandum occupet. Cui malo remedium est in cognitione rerum, usu firmanda. Veri enim falsique notionum inopiam, varietatemve & obscuritatem, quâ fit, ut mens huc illuc impulsa dubiis se expedire non possit, etiam Consilii penuriam consequi necesse est. Maturè igitur vitæ totius incunda est ratio talis, quâ extrema primis, media utrisque, omnia omnibus respondeant, & quid ex quo sequatur, quid usu venire possit &c. haud omninò incompertum sit.

2. *Animositatis & audaciæ usum* arguunt præclara gesta Virorum pro salute & libertate Principis, Patriæ, Religionis &c. asserenda. Audaciam spes

sustentat, si non superandi periculi, saltem Boni cujuscunque, quod etiam difficillima ausos & vel mori certos consequi solet. Decius Mus Cos. *quasi monitu Deorum, capite velato primam ante aciem Diis Manibus se devovit: ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad victoriam iter, sanguinis sui semitâ, aperiret.* Unde & successûs omen è fortuitis accipit animosus, & Virgilio dictum, *audentes Fortuna juvat.* Quod Providentiæ Divinæ casus fortuitos occulta ratione regentis argumentum est. Incertis igitur fluctuantem consiliis, utravis pro parte rationibus æquo pondere certantibus, in eas propendere posse, quæ animositate juvantur, haud abs re arbitror. Hic Socratis fuisse videtur *Genius*: quòd quæ, suadente demùm animositate, agenda susciperet, auspicatò fieri crederet. Superstitionis autem foret, huic in tantum parere affectui, ut quod Plato Socratem fecisse meminit, domi delitescere velis, non exiturus, donec animi alacritas ad exeundum invitet. *Æmulationis usum* commendant præclara Virtutum exempla, ad quæ imitanda hoc ipso affectu nos stimulat Natura.

Flor. l. 1. cap. 14.

3. *Pusillanimitatis usus*, si quisquam est laudabilis, cernitur in rebus haud magni sanè pretii, quantivis fortè ab aliis æstimentur. *Consternatio* vox quædam videtur esse Naturæ quasi exprobrantis & monentis, quàm turpiter eâ animi præsentia & robore careamus, quô adversus vim & incursum fortunæ inopinatum nos munitos oporteret: tametsi imbecillitati nostræ arrogare non audeamus, quod Sapiens ille Stoicus, de quo Poëta;

> *Si fractus illabatur Orbis,*
> *Impavidum ferient ruinæ.*

Satis nobis cautum putamus, adversus istam animi ægritudinem, primùm si meditata nobis sint humana, *Nihil*, inquit Seneca, *nobis improvisum esse debet.*

debet. In omnia præmittendus est animus: cogitandumque, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. Epist. 91.
Deinde si hominem ad humana paremus, *& assuescamus futuris malis, & quæ alii diu patiendo levia faciunt, nos diu cogitando.* Idem Epist. 76.

§. 7.

Quarta classis habet affectus derivativos ex lætitia & tristitia variè combinatos. Unde quatuor exsistunt species. Primæ speciei sunt; *Irrisio, Invidia, Commiseratio & Congratulatio.*

Irrisio lætitiæ odio permistæ species est, quam excitat leve malum, quod non indigno accidisse putamus.

Invidia est tristitia cum odio, quæ concipitur è bono, quod indigno contigisse arbitramur.

Commiseratio species & tristitiæ amore mixtæ, è malo nata, quò indignos conflictari credimus.

Congratulatio lætitia est cum amore, orta è bono, quod illi, quem eo dignum arbitramur, evenisse nostrâ quodammodò intersit.

U s u s.

1. Irrisio ad leviculas humanæ vitæ sordes extergendas maximè prodest. Hinc nata Poësis Satyrica: ut ex amore, Epica; ex Audacia, Tragica: nec enim Satyrica tàm ipsa vitia, quàm eorundem circumstantias, quæ ridiculi quid habent, insectatur. Irridens autem odio habet malum, sed leviculum: lætatur id accidisse non indigno. Sic meritò suò ridentur, qui affectatâ morum insolentiâ leve sibi malum accersunt, ipsa irrisione cautiores posthac futuri. Velut si Thrasonem composito ad fastum incessu offensantem & lapsantem rideas. Illum verò, qui gravius patitur malum tanquam eo dignum deridere, pravæ indolis & odii in personam inexcusabilis, argumentum est. Qui de fatuorum

aut maniacorum spectaculis & deliriis voluptatem capit, sanitatem mentis non magno satis æstimat, alioqui mente captos non minùs quàm alios calamitate quavis afflictos miseraturus.

2. Invidia ferè dolorem significat de rebus alterius secundis. *Invidus alterius macrescit rebus opimis.* Quo sensu vitium communi hominum odiô dignum, & perversæ indolis indicium est. Hic autem loci nobis affectus est, quem genere suo vitiosum negant Philosophi, usum ejus ad rectam munerum & honorum distributionem referentes. Quâ ratione justam incurrere censetur invidiam, cui indigno & inhabili munus publicum defertur. Injustissimâ autem invidiâ laborat, qui dote quavis Naturæ locupletatus alios antecellit: rem enim, ut par est, æstimanti satis ad eam dignitatis habere videbitur is, in quem Deus illam conferre dignatus est.

3. Commiserationis affectum T. O. Naturæ Parens nobis ingeneravit, Primùm, ut homines humani nihil à nobis alienum putemus, aliique alios, quôcunque malô conflictantes, aut consolando, aut consilio, aut re juvemus. Numquid ergò & peccantis miserescet, qui suo scelere, malorum maximo non indignus est? Quidni? Distinguam enim hominem ab humanitate, vel personam à natura. Ut enim qui peccat homo scelere suo dignus sit, indigna tamen est humanitas, quæ turpitudine fœdetur. Si nequam homo, quem sua culpa mendicare cogit, stipem roget, non homini sed humanitati dabo. Deinde justitiæ & innocentiæ, in qua per improbos seculi mores viro bono non semper satis est præsidii, hoc affectu utcunque cautum voluit Natura. Anne enim sine cordis ægritudine insontem opprimi, indignè tractari, supplicio plecti &c. videam? Quid æstus ille viscerum, quid gemitus, querimoniæ, suspiria ab imo pectore petita commiseranti, nisi hortantis quasi Naturæ voces ineloquaces,

ces, ut innocenti advocatus adesse velim? Sic invidia pariter & commiseratione, tanquam ipsius Naturæ voce commonemur atque docemur, *esse aliquid justum, & injustum; æquum & iniquum*, hocque esse fugiendum, illud amplectendum.

4. Qui benefaciendi studiô præcellit, illi prosperitatis suæ communis omnium congratulatio & applausus debetur. Quapropter hujus affectus is maxime usus est, ut ad mutuum beneficentiæ certamen provocet homines.

Secundæ speciei sunt *Satisfactio*, *Pœnitentia*, & *Morsus conscientiæ.*

Satisfactio est plausus quidem animæ rectè factorum conscientia exultantis.

Pœnitentia mœror est animi è malefacti conscientia dolentis.

Morsus conscientiæ est tristitia dubitantis, utrùm quod facit, fecitve, honestum sit, an diversum.

Usus.

1. Satisfactio, sive Acquiescentia in seipso, dulcissimus est fructus, quem animus è rectè factorum conscientia percipit. Ex adverso pœnitentiæ dolor, quem peccata inurunt animo, tantus est & tam acerbus, ut miserius nihil fingi queat homine, *cui fervens æstuat occultis animus, semperque tacendis.* Peccanti dolet peccâsse, quia voluntate peccat quâ nihil magis *suum* habet, & inde quæ turpis facti malitia est, eandem & suam esse persuasum habet conscientiæ testimoniô, cujus tàm sancta fides, ut nulla argumentandi arte labefactari, vel eludi possit. Scilicet in impium, cui sæpè flagitii impunitas est in foro civili, hæc à Deo pœna certissima constituta. Quapropter Acquiescentia & Pœnitentia non solùm *libera voluntate fieri quam plurima*; quem enim pœniteat ejus, quod nullatenus è voluntate

tate pendet? *Sed etiam honestum à turpi naturâ discrepare*, manifestò ostendunt. Imprimis autem utraque studio integritatem & tranquillitatem conscientiæ tuendi inservit.

Cæterùm è factis inutilibus, parvi momenti, parumve profuturis, vel indubitatè turpibus, quæsita satisfactio solidæ pietati plurimùm obest: inanis quippe fiduciæ, stultæ arrogantiæ & hypocriseos nutricula. *Quod*, inquit Philosophus suprà laudatus, *specialiter observari potest in iis, qui, cùm se religiosos putent, hypocritæ demùm & superstitiosi sunt, id est, qui eo, quod sæpè frequentent templa, multas recitent preces, capillos tonsos habeant, jejunent, eleemosynas largiantur se plurimè perfectos putant, & sibi imaginantur, se ita in gratia apud Deum esse, ut nihil facere queant, quod ipsi displiceat, & omne quod ipsis sua passio suggerit, bonum zelum esse; etsi quandoque suggerat maxima crimina, quæ in homines cadere possunt, ut prodere urbes, trucidare Principes, exterminare integros populos, ob id solùm, quod suas opiniones non sequantur.* In quos hæc dicta velit, ignorari non sinunt tristissima experimenta.

De passionib. Part. III. Art. 190.

—— *quid rides? mutato nomine de te*
Fabula narratur.

3. Morsus Conscientiæ usum præbet duplicem. Primùm enim veri indagationem juvat, animô fluctuantem ad expendenda rerum momenta incitans, ut quid honestum, quid turpe, quid amplectendum, quid fugiendum sit, constet, deinde impedit, ne quid dubitante conscientia fiat, vel factum repetatur aliàs, quamdiu quale sit non liquet. Neque tamen hac sua utilitate adeò commendabilis est, quin ejus sentiendi nullam dari causam præstet: quia qui dubitans agit, peccandi periculo se objicit, eoque ipso jamjam peccavit, summum malum, puta peccatum, non summô odiô aversatus. Unde & Ratio probat illud Apostoli; *Unusquisque in animo suo plenè persuasus esto. Et quicquid ex fide non est, peccatum est.*

Rom. 14: 5. & 23.

Ter-

Tertiæ speciei sunt *Gloria* & *Pudor*.

Gloria ex opinione vel spe laudis apud alios obtinendæ: Pudor ex opinione vel metu vituperii proficiscitur. Illa lætitiæ, amoris sui ipsius & existimationis; Hic tristitiæ, amoris sui ipsius & qualiscunque despectûs, species est.

USUS.

1. Quàm præstabilis sit horum affectuum usus, facile est, attendentem penitus videre. Primùm enim virtutis sunt incitamenta. *Gloria* quidem ad præclara suscipienda & gerenda stimulat spe: *Pudor* à turpibus abstercet metu. *Sæpè enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur.* Ut proinde ars quædam virtutis atque vallum videri queat. Diogenes adolescentulum videns rubore perfusum, *confide*, ait, *fili*; *hujusmodi est virtutis color.* Laert. in Diog. Unde nec in pessimos, nec in optimos cadit pudor. Virtutis enim cultores strenui contemptu superiores contemptum ipsum contemnunt. Rursus autem, nullo moveri contemptu, in improbis summus improbitatis est apex: *Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui & ignominiam & infamiam ferunt sine dolore.* Tusc. 4.

2. Deinde cùm uterque affectus indicent, communi hominum judicio potiùs, quàm proprio, standum esse in rebus quæ ad morum venustatem & obedientiam civilem pertinent, tùm maximè pudor ille naturalis, sive verecundia, voluptates corporis homine, qui cæteris animantibus longè præstat, indignas, atque ea propter meritò contemptui esse oportere, docet.

3. Porrò quia instinctus ille *gloriæ* atque *pudoris* etiamnum vim qualemcunque in nobis obtinet, etsi ubique terrarum quasi maximum quendam Turpitudinis Magistrum atque Fautorem habeamus populum, ac omnem undique ad prava consentientem mul-

multitudinem, id ipsum indicio est, humanum Genus, è statu, quô quidem optimô conditum erat, concidisse. Tantùm, ut res nunc sunt humanæ afflictissimæ cavendum, ne pudore subacti, vel popularis gloriæ aucupiô illecti quod verè honestum est deseramus, qui perniciosissimus harum passionum fomet abusus. Rectè Cicero, *mihi quidem*, inquit, *laudabiliora videntur omnia, quæ sine venditione & sine populo teste fiunt: non quo fugiendus sit (omnia enim benefacta in luce se collocari volunt) sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est.* Quæ si tibi ob rectè facta plaudit, cæterorum mortalium sibilos & obloquia facilè contemnit. Illos æquum est pudore suffundi, qui prava faciunt, non qui ob benefacta malè audiunt, aut iniqua patiuntur. Est enim vera virtus paucis contenta judicibus, multitudinem consultò ipsa fugiens, rursumque ei ipsi suspecta & invisa.

Quartæ Speciei sunt, *Fastidium*, *Desiderium* & *Hilaritas*.

Fastidium tristitiæ species est, ex eadem re, quæ antè nobis lætitiam dedit, enascens.

Desiderium tristitia est ex privatione vel amissione boni, quo frui quondam voluptati erat, desperata ejus recuperatione.

Hilaritas lætitia est ex recordatione præteritorum malorum, quibus nos velut onere levatos sentimus.

Usus.

1. Fastidii utilitas ad temperantiam refertur. Ferè tandem fastidio esse solent, quorum usui justô plus atque diutiùs indulsimus. Comparata namque est ita hominum natura, ut pleræque omnes res, quas possidemus, bonæ non sint nostri respectu, nisi ad tempus, diuturniorique usu fastidium pariant. Id quod maximè apparet in cibo & potu, qui

qui prodeunt donec viget appetitus, mox obsuturi, ubi ille defecerit. Adeò nihil suave, quod perpetuum, in hoc rerum genere, ut etiam voluptates commendet rarior usus. Monent igitur, animum ad ea convertendum esse bona, quorum nulla est satietas.

2. Desiderium curam acuit atque diligentiam servandi bonum, cujus amissio tàm graviter cruciat animum. Hoc affectu, & sæpè sæpiùs ignavo questu prosequimur fato functos Amicos, benè de nobis meritos, aliosque formâ, morum elegantiâ, animi dote &c. præstantes; unde Poëta;

Quis desiderio sit pudor aut modus — Hor. l. 1. Od. 24.
Tàm cari capitis ———
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quàm tibi.

Hæc passio prima docuit mœstos mortales, pompam instruere funebrem lamentabilibusque vocibus & threnodiis dulcem illam & decoram animi amaritudinem majorem in modum accendere: memoriam mortuorum elogiis & monumentis æternitati consecrare; tandemque (quod omni funere magis dolendum est) eò insaniæ proficere, ut templa defunctis & aras exstruere non dubitarent, &, tanquam si dii facti essent, simul ac homines esse desiissent, cultu eosdem religioso venerari, vota iisdem nuncupare, ipsamque adeo vitam humanam, atque Religionem fœdissima superstitione & idololatria, conspurcare. Qui omnium pessimus est hujus passionis abusus.

3. Hilaritatis usus præcipuè ad tolerantiam spectat. Eò enim lubentiùs & modestiùs incommoda nobis ferenda sunt, quòd olim meminisse juvabit, & tantò suaviori voluptate quæ fecimus damna, compensabuntur. Jucundi sunt acti labores: unde & senibus eam vitæ suæ scenam, quæ casibus fortunæ adver-

ver. æ distincta est, subinde explicare quàm maximè vo upe est. Eo argumenti genere ad socios usus esse videtur Æneas; *Durate & vosmet rebus servate secundis.*

CAP. VIII.

De Habitu Animi.

§. 1.

Ad materiam Virtuti subjectam etiam pertinet Habitus: quo nomine omnes complectimur animi dispositiones atque inclinationes, easque sive adnatas, sive contractas, quæ modò quocumque judicium mentis pervertere, moresque corrumpere valent.

Expl.

1. Quia *habitûs* nomen latiori significatu acceptum Latinis *qualitatem & formam* cujuscunque rei denotat, eadem notione liceat nobis comprehendere quasvis animi dispositiones, undecunque inductas, quæ ad judicium flectendum, moresque mutandos plurimùm valent, variisque characteribus in vultu, gestu, sermone, actionibus &c. sese produnt.

2. Cui rei argumentum dicimus illam opinionum de rebus maximi momenti varietatem, quâ factum olim, ut Vulgus Philosophorum studia in contraria scinderetur, dum naturæ quisque suæ & indolis inclinationem veriùs quàm Rationis ductum in vero dijudicando sequi mallet. De summo bono atque fine hominis quisque prout animo affectus esset, ferè sentiebat: unde tanta sententiarum morumque coorta est varietas, ut locum inveniret illud Poëtæ; quot

quot capitum vivunt, totidem studiorum
millia.

Qui ingenio erant severo, rigido moroso, querulo, & arroganti, Stoæ placita amplexi sunt. Qui ingenio erant molli, ac tranquillitatis & otii amantes, Epicuri sectam sequebantur. Tandem quibus ingenium erat civile, modestum & liberale, illi Peripateticis operam dabant.

3. Moribus autem variandis & distinguendis plurimum valere habitum animi, prudenter observant Historici: qui acta Principum enarraturi, indolem illorum atque effigiem, quam natura & educatio insevit, perpetuò intuentur, nec unquam ferè res ab ipsis gestas commemorant, quin de animi qualitate, quam actiones exprimere solent, nonnihil aspergant. Affectus quisque in animo prævalens omnes ejus actiones & decreta, tanquam hedera, circumsepit, neque ferè quicquam purum invenias, quò illa claviculas suas non imprimat. Hinc illæ è rebus gestis descriptiones *Africani & Catonis Majoris* apud Livium: *Tiberii, Claudii & Neronis*, apud Herodianum &c. Qui etiam Historiæ usus quidam est in moralibus.

§. 2.

Habitus ille vel Nativus est, vel Acquisitus.

Nativus est, qui vel ex defectu quodam naturæ humanæ, vel aliis quibuscunque causis, nobiscum nascitur.

Estque vel omnium hominum communis, vel singulorum proprius.

Communis, qui universis ipsa nascendi sorte inest, & generali nomine pravitatis, vel corruptionis naturæ venit. Quò pertinent, quæ præcipuè hujus loci sunt.

1. Proclivitas ad judicandum de vero & bono; non prout Ratio, sed sensus, quà interior, quà exterior, dictitat.

2. Propensio ad concupiscendum, quæ solùm affectibus sese commendant, & animali prodesse putantur.

E X P L.

1. Hic dicendi occasio esset de hæreditaria naturæ nostræ pravitate, & indidem universis incumbente miserrima servitute. Verùm labis istius penitior cognitio, cùm hominem vel ea sui parte, quâ judicat, ægrotantem fugiat, ex revelatione Scripturarum repetenda, & proinde Theologorum industriæ relinquenda est. Mala quidem servitutis miseræ, cujus compedibus ab ortu usque vincti tenemur, sensus ignorari non patitur, causam tamen malorum, vim atque energiam pravitatis non attingit. Hinc Gentilium Philosophi verbi Vitæ ignari opus Dei, quod in illa integra adhuc & incorrupta hominis primi natura requirere debuerant, in sua pollutione contemplantes, Naturam accusare sustinuerunt, hominem ab ea, non ut matre, sed noverca in lucem productum, corpore nudo, fragili & infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines &c. conquesti.

2. Ex

2. Ex proclivitate judicandi de re qualibet, ut sensus dictat, velut è fontis vena plerique omnes vitæ humanæ errores promanant. Inde fit, ut id ipsum, quod sensu percipitur, ejusve simile quid rei cuique naturâ inesse nobis persuadeamus, E.C. colorem tabulis pictis; odorem aromatibus; saporem cibis; dolorem pedi allisu fortè vulnerato &c. quo casu vera falsis, sensum sensûs causis, confundentes idem erramus quod infans, qui ex aciculæ punctu dolens, aciculæ dolorem aut dolori non absimile quid inesse persuasum habet.

3. Atque hæc quidem errata hactenus levia videri possunt, nisi nobis nimio plus amori rerum corporearum servientibus turpissimæ servitutis jugum adstringerent, eòque nos tandem insaniæ adigerent, ut quem cultum amoris & fiduciæ Creatori debemus, inconsideratissima temeritate in res creatas transferamus.

4. Idem & in *Imaginatione* usu venit. Propendet enim animus ad credendum, *esse* vel *fore*, quæ nec sunt, nec erunt unquam. Quemadmodum igitur sensu exteriore incautus fallitur animus circa rerum naturam; sic imaginatione circa earundem existentiam: de qua si securus reddatur, errandi nec finis nec modus erit. Atque hinc nati sunt Somniorum interpretes, Enthusiastæ, Fanatici, Manes, Umbræ post fata redeuntes, & quid non? Hinc etiam vulgò homines ex se suoque ingenio æstimant alios quosvis. Homo simplex parem in aliis simplicitatem fingit: astutus similem aliis astutiam inesse credit. Sic Deus improbo, *hæc*, inquit, *fecisti*, & *silui*: *putâsti*, *me omninò tui similem extiturum*. Quo errore cæcati nonnulli Deo affectus vehementiores, desideria inania, *velleitates* &c. adscribere non erubescunt. *Psalm. 50: 21.*

5. Quando naturâ ita est comparatum: quid mirum, si toto animo propendemus ad expetendum, quæ animali prodesse putamus, nihil non ad corpo-

ris commoda referentes? Unde exiſtit turpis illa noſtri effœminatio, qua vix unquam ſatis ad Rationem & Legem, *vitatu quidque petitu ſit melius* docentem, attenti, non jam modò vacillamus incerti, num ductui ejus obſequi, an nuncium mittere velimus; ſed uſque & uſque magis eò, quò ſua quemque paſſio trahit, inclinamus. Atque hoc quidem nunquam ſatis dedignandum vitæ humanæ propudium eſt.

6. Quòd ſi originem iſtius propenſionis altiùs repetere lubeat, inſignes quoſdam deprehendemus naturæ humanæ defectus, quibus à lapſu communis omnium parentis, Adami, laborat. 1. Menti non ampliùs ita eſt promptum, ut erat olim, proponere ſibi cognoſcenda: quinimò, in quarum rerum notitiam quàm maximè incumbere expediat, ſæpiùs non diſcernit, in diſquirendis ſupervacuis ac nihili rebus ridicula curioſitate ſe torquens, & ad res maximè cognitu neceſſarias aut non advertens, aut contemptim & rarò deflect.ns, aut ſtudium certè ſuum vix unquam ſeriò applicans. 2. Inſitas rerum notiones non ampliùs ita, ut fieri oporteret, diſtinctè & ſeparatim perpendit. 3. Cogitanti non perinde facilè, ac velit, nec ſponte ſuccurrunt, quæ notionibus illis comprehenduntur. 4. Nec ampliùs eadem cura atque diligentia ad ea, quæ primis rerum notionibus continentur, attendit; tametſi nec revelatio Prophetica Scripturæ S. ſegnitiei noſtræ hac in parte deſit. 5. Non ampliùs eam ſui poteſtatem habet, ut liberam judicandi eligendique facultatem intra limites claræ & diſtinctæ perceptionis cohibeat. 6. Corpus ſibi junctum corporiſque motus non ampliùs ita prorſus in poteſtate tenet, ut ad ejus voluntatem nutumque ſe convertant, Rationiſque imperio obſequantur. Eò accedit, quòd infantes nati, & ante Rationis uſum ſolis ſenſibus & caſui, velut actionum noſtrarum ducibus, aſſuefacti imperium

affectui in nos permittimus, idque longo usu, nostráque indulgentia magis magisque stabilimus.

7. Hisce tot incommodis reperiri medicinam, testes sunt, quotquot veritatis amore, virtutisque studio delectantur: quod tamen non humanæ artis vel industriæ specimen; sed gratiæ divinæ beneficium est. Ut enim res quæque in eum statum, quem non ex se, sed alterius beneficio obtinuit, seipsam restituere nequit: sic homo, quas primitùs sibi non dederat imaginis divinæ dotes, reddere sibi non valet.

§. 3.

Habitus nativi singulorum proprii sunt impressiones corporeæ ex alimenti & sanguinis temperie in utero matris factæ, quas similia sequi judicia & mores, exempla probant.

Tales sunt Ἰδιοσυγκρασία & Ἰδιοπάθεια.

Illa est impressio ex totius ferè corporis temperamento pendens, quæ animi perceptionem quibusdam in rebus contemplandis impedit vel pervertit.

Hæc est impressio, qua quis se quapiam singulariter, eumque in modum afficitur, ut summam ferè humanæ felicitatis & perfectionis in ea positam esse, cæterosque mortales, qui ea carent, miseros, aut saltem turpiter mancos, existimet.

Expl.

1. Exemplis hæc breviter illustrâsse satis habebimus, altiore horum pathematum indagatione Physicis relinquendâ. Ἰδιοσυγκρασίας exemplum præbent illi, quibus ad Mathematicas scientias quasi natis, earundemque non vulgariter doctis lævum planè & ineptum est ingenium ad Theologica & Metaphysica, adeò quidem, ut quid *mentis* notio

sibi velit, ignorare se liberè profiteantur, vel percipere posse negent.

2. Ἰδιοπαθείας exemplum est in illis, qui unam aliquam artem sic depereant; ut quicquid reliquarum est artium ipsis sordeat, earumque cultores contemptui sint. Hinc undique arti suæ defensores & laudatores parant, omnibusque de rebus ex ipsa judicant. Is animi morbus ferè habet Alcumistas, ut etiam Scripturam Sacram instituto suo faventem somnient: universam Naturæ Scientiam è fornacis experimentis petendam existiment &c. Eòdem pertinent Sympathia & Antipathia, & alia propemodum innumera Idiopathias genera, quibus naturâ homines in amorem hujus, odium illius, veluti rapiuntur, & pro insito affectu diversum à rebus judicant.

3. Dicat fortè aliquis, quæ naturâ nobis insunt, nulla ope humana esse superabilia, frustrà proinde esse, qui in Ethicis de hisce præcipere velit. Id equidem fateor esse verissimum de iis, quæ legibus universi corporum ambitûs quasi peremptoriis tenentur: quale est, quod Aristoteles de gravitate lapidis hic objicit, qui vel millies in altum projectus, sponte tamen naturæ sursum ferri non assuescet. *Nicom, l. 2, c. 1.* Secùs res habet in iis, quæ vel ex unione animæ & corporis in homine; vel ex relatione motuum organicorum ad objecta sensibilia, pendent. In his enim moderandis vel inhibendis industriam & usum nonnihil valere, experimenta testatum faciunt. Sic algorem & æstum consuetudine tolerari, quis nescit? Et alterum illud, de relatione motuum organ. ad objecta sensuum, vel in bestiis observare est. Canis visa perdice naturali impetu in eam fertur: displosi sclopeti crepitu ad fugam incitatur. Attamen constat, arte humana assuefieri canes venaticos, ut visa perdice intra vestigia sua consistant, & posthac audita sclopeti displosione in eam incurrant. Quòd si motus cerebri in animantibus Ratione destitutis haud

haud ita magna industria mutari possunt; quidni idem faciliori negotio in hominibus procederet, comprimis accedente ad industriam longo usu?

§. 4.

Habitus acquisitus dicitur Consuetudo, quæ est Impressio usu firmata, animam inclinans ad judicandum res esse veras, bonas, decoras &c. eò solùm quòd sæpius sic existimavit, & juxta eandem opinionem egit.

EXPL.

1. Consuetudine fit, ut E. C. Antropophagi humana carne vescantur sine horrore, quem morem alii plus quàm ferinum detestantur: lupus lupinam non est, nisi rabida fame subactus. Consuetudinis utramque in partem maximam esse vim, nemo nescit: unde *altera natura* vulgò dici consuevit. Inveteratæ opiniones communium notionum locô habentur apud plerosque, & vivendi ratio in morem vertens, quantumlibet mala, vim legis cujusdam naturalis obtinet.

2. Moris induendi vel exuendi ratio in eo vertitur tota: nimirum, quia mens & corpus in homine non alio, quod sciamus, vinculo continentur, quàm mutuarum actionum & passionum reciprocatione, de qua suprà Cap. 11. §. 3. n. 17. 18. Mirabili quadam actionum & passionum serie & catenatione certi motus corporis certis cogitationibus animi junguntur ita, ut motuum illorum cogitationumque crebrior iteratio nexum magis magisque adstringat. Inde adeò fit, ut eodem motu spirituum, vestigia cerebro impressa relegentium, repetito, menti quoque eædem denuò succurrant cogitationes & affectus. Quapropter sciri nostrâ haud parum refert, quos motus quibus cogitationibus jungamus,

mus, vel pridem junctos, usque familiares factos sejungamus, atque ita consuetudinis vim infringamus. In eo namque ad morum sive emendationem, sive corruptionem plurimum inest momenti.

§. 5.

Habitus sive mores pro sexu, ætate, fortuna &c. varios contrahimus viventes vel privi & singuli; vel aliis quacunque societate conjuncti: quò præcipuè pertinent mores, quos educatio & conversatio conciliant.

E x p l.

1. MOrum diversitatem è sexu, ætate, fortuna, vitæ conditione &c. longum foret edisserere. Argumentum hoc prolixè executus est Aristoteles, & ex ipso D. Amyraldus. Super hac re quoque Poëtam sic instruit Poëta;

Rhet. l. 2. c. 12, 13. &c. Ethic. Christ. Tom. 2. pag. 654. &c. Hor. de Arte Poet.

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis
Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis cupidusque, & amata relinquere pernix.
&c.

2. Quod ad consuetudinem attinet, quam in societate viventes contrahimus, nemo ignorat, quantum hic valeant educatio & institutio, amicitia, familiaritas, patriæ mores, studiorum ratio, librorum lectio, per quam cum absentibus, imò vivi

cum

cum mortuis quasi conversamur. Educationis, quippe cum notabili aliquo affectu conjunctæ, præcipua vis est, solent enim qui puerorum mores formant, amorem illis & existimationem earum ingenerare rerum, quibus animos ipsorum imbutos velint: quasi permultum intersit, affectu priùs imbui animum, quàm cognitione rerum. Unde persuasi quæ didicere, verissima & optima esse, non solùm magno studio ardoreque animi eadem defendere religioni habent, sed etiam contradicentes & meliora monentem ferre non possunt. *Assuetus falsis animus meliora recusat.* Quô pactô quam plurimi homines fœdissimis erroribus & moribus, è prava educatione contractis, insenescunt & immoriuntur. Hinc tandem imperitiâ magistrorum primi virtutis veritatisque igniculi in alumnorum animis quasi sepeliuntur, vel penitus extinguuntur, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura cedat.

3. Promiscuam librorum lectionem, insuper habito discrimine, utilia præcipiant, an inutilia, ad judicium & mores corrumpendum valere, plus satis comprobat experientia. Ex præpropero & nimio studio legendi libros controversiarum de Religione, quosdam videas evadere impudenter audaces, fastidiosè superbos, molestè garrulos, pertinaci maledicentia, perpetuoque contradicendi studio intolerabiles: ut quicquid dicas veri bonique, sive ajas, sive neges, ipsi tendant in contrarium: in quovis vitæ genere contentiosi & refractarii manentes &c. Poësin Gentilium non nemo Veterum appellavit *Vinum Dæmonum*, eò quòd aureô quasi poculô venenum propinet incautæ juventuti. Poësis quidem Satyrica, nisi justô sit dicacior & acerbior, extergendis humanæ vitæ sordibus conducit. Comica, modò absit lasciva & scurrilis petulantia, *vitæ humanæ speculum* dici meruit. Verùm quotusquisque adolescentum hic satis est cautus & providus? *Heic*

qui

qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet; Et cùm cavisse ratus est, sæpe is cautor captus est. Utplurimùm enim, quos designo, Scriptores turpium rerum fiunt διδάσκαλοι, quod ipsimet non
1.Cor.15. 37. *Menander in Thaide.* ignorant. Menandri Comici versus est, quem Apostolus citat;

Mala verba mores haud malos adulterant.

Nec enim dictu facile est, utrùm mala exempla pejus noceant, an malorum exemplorum elegans & artificiosa expressio, quâ præter turpem spectandi & audiendi voluptatem vix aliud obtinetur, quàm ut artificiosè peccare docearis. Hic spurcissimus
In Ranis. Aristophanes in se, dum taxat Euripidem, testimonium dicit. Cùm enim Euripides, quem cum Æschylo in scenam induxerat, interrogâsset, defendendæ Phædræ suæ;

Num carminibus fortasse meis, quæ fecit Phædra, reclamant?

Respondet Æschylus;

Minime verò: sed oportet quod fœdum est, celare Poëtam,
Nec producere vel describere, nam qui audet dicere, Doctor
Pueris existit, sed pubem ingeniosam carmina ducunt.
Bona dicere nostrum est omninò.

Hinc Xenocrates apud Plutarchum lepidè suadet eapropter juvenibus magis quàm athletis amphotidas dari; *ut enim illorum aures plagis, itidem & horum mores sermonibus vitiari.*

§. 6.

§. 6.

Animi dispositio & affectio certis characteribus & signis in vultu, gestu, totoque corporis habitu, sese patefacit.

EXPL.

1. Arctissimum fœdus, quo mens & corpus in homine sociantur, & strictissimus ille actionum mutuarum nexus, faciunt, ut affectus animi certis sui indiciis & signis corpori impressis se prodat. *Non vides*, inquit Seneca, *si animus langues, trahi membra, & pigrè moveri pedes? si ille effeminatus est, in ipso incessu apparere mollitiem? si ille acer est & velox, concitari gradum?* &c. Unde nata Physiognomia, ab inquinamentis, quibus vana superstitio artem fœdavit, repurgata non omninò damnanda videtur. Ep. 114.

2. Artis usum exemplô commendat Pythagoras: de quo A. Gellius; *Jam*, inquit, *à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνώμονει. Id verbum significat, mores naturasque hominum, conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, sciscitari. Eum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat, & tempus certum tacere; non omnes idem, sed alud aliis tempus pro æstimato captu solertiæ.* Quemadmodum autem corporis lineamenta animi inclinationem & habitum universè dignoscendum præbent, ita oris, oculorum, aliarumque partium motus & gestus, insuper aditus & tempora, & præsentis dispositionis voluntatisque signa declarant. Ut enim lingua aures ferit, sic gestus oculos alloquitur. Id quod Veteratores, hominesque astuti, quorum oculi vagabundi frequenter in aliorum vultu & gestibus hærent, in commoda sua vertere nôrunt: in quo etiam prudentiæ civilis pars non postrema versatur. Noct. Attic. lib. 1. cap. 9.

CAP.

CAP. IX.

De Bono & Malo.

§. 1.

Bonum dicimus, quicquid naturæ vel societati humanæ conservandæ & perficiendæ aptum & conveniens est. Malum, quicquid in diversum tendit. Unde illud amari, hoc odio esse solet.

EXPL.

1. USque adhuc de Objecto Virtutis interno. Externum sunt *bona & mala*, quæ vitæ nostræ sortem distinguunt. Non immeritò *Socrates*, Epist. 71. referente Seneca, *hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere.* Quia sine ea notitia, nec illa appetere aut sequi recto pede liceat, nec hæc fugisse.

2. Quia vulgò *bonum* non tàm Ratione & ex se, quàm sensu affectuque nostro & ordine ad aliud, cujus consecutionem juvet, æstimari solet, hinc quæstio de *bono*, quod nemo non quærit, subdifficilis & obscura sit. Ep. 118. *Varia*, inquit Seneca, *ejus interpretatio fuit. Finivit hoc alius alio modo. Alius illud aliter expressit. Quidam ita finiunt: Bonum est, quod invitat animos, quod ad se vocat.* Alii, *bonum est, quod appetitionem sui movet, vel quod impetum animi tendentis ad se movet.* 2. de fin. Cicero, *bonum*, inquit, *si opus fuisset, definisset, aut quod esset naturâ appetendum; aut quod prodesset; aut quod juvaret.* Quæ definitiones boni sunt ab effectu & charactere, qualis est, *prodesse.* Stoici omnia ad animum referentes, perinde ac si sola mente homines simus, commo-

modaque corporis & *Totius* illius, quod sumus, in bonorum numero & loco poni non debeant, solam virtutem dixere bonam, solum vitium malum. De iis Cicero; *Qui nihil aliud in bonorum numero, nisi honestum esse voluerunt.* De Helvidio Prisco, Tacitus; *Doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantùm quæ turpia: potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.* Scilicet, quæ extra honestum sunt, Stoicis adiaphora habentur: eaque pro sua diffiniendi subtilitate προηγμένα & ἀποπροηγμένα, id est interprete Cicerone, *producta* & *rejecta*, vel *præponenda* & *rejicienda* dixerunt, nullum ad felicitatem, quippe sola virtute terminandam, momentum afferre arbitrati. Vera vel Veris proxima senticent Stoici, si homo non nisi mens esset, nullum habens cum corpore commercium: quo sanè casu bona extraria homini perficiendo beandoque nihil valerent. Inde verò, quod olim, notante Cicerone, etiam Carneadi visum est, facilè probaverim, in omni hac quæstione *non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum*, sive logomachiam. Interea tamen ut alia Stoæ placita, ad acuendum Virtutis studium opinio ista comparata videtur. Unde illud Lipsius ex Disciplina Stoica; *Nihilne interest, utrùm Bona, an* Producta *appellem? Si Bona; incitor & præsumo jam appetenda. Sin autem* Producta; *disco fines boni tangere, sed judicio debere induci. Ipsa voce igitur admoneor, non nimis & statim inhiare. Idem in iis, quæ* Mala *vulgò dicunt, ipsi* Rejecta: *intelligo non nimis fugienda esse, & interdum, si virtutis in iis materies, appetenda.*

3. de fin. Hist. IV. 5. Manuduct. ad Stoic. Phil. l. 2. c. 24.

3. Qui sic definiunt, *Bonum est, quod amamus: Malum, quod aversamur.* Bonum & malum non nisi denominationes externas esse existimant: quoniam quæ uni bona, alteri sæpe sunt mala: quod in genere *Boni jucundi* quàm maximè usu venit: unde illud; *Trahit sua quemque voluptas.*

Istis

Iſtis Authoribus ſi objicias; Atqui homines ſæpè amant, quæ mala ſunt & noxia; oderunt quæ bona & opportuna. Difficultatem expediri putant diſtinctione generum amoris: nempe *alium dicentes eſſe amorem Dei, alium amorem sui, ſive Virtutem & Philautiam. Quod per virtutem amamus, honeſtum; quod per philautiam, jucundum. Fieri ergò ex facili, ut quod uno iſtorum amoris generum amamus, id ſi ad alium amorem comparetur, illum minimè mereatur, ſed veriùs odio amori iſti oppoſito dignum ſit.* Atqui inquam ego. hæc ipſa plus ſatis arguunt, *bonum* & *malum* non meras eſſe denominationes: quia quod per virtutem amatur, dignum utique eſt quod ametur. Id igitur tenendum; quod judicio Rationis bonum deprehenditur, ſimpliciter tale eſt: quod ſenſu tantùm & affectu, id tibi, mihi, alii, hic, nunc &c. non ſapienti, non ſemper, non ubique, tale creditur. Hôc pactô fieri poteſt, ut quod reapſè bonum honeſtum eſt, huic, illive, malum ſit injucundum. Et vice verſà, quod bonum eſt jucundum, reverà malum ſit turpe. Hinc illud Poëtæ ex avari judicio.

——— ——— omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & rex,
Et quicquid volet.

4. Quanquam autem à ſtudio quærendi Boni honeſtum abeſſe non debeat, alia tamen eſt ratio Boni, quô Totum illud, quod quique ſumus; alia Boni, quô alterutra noſtri pars; alia Boni, quô ſinguli; alia Boni, quô univerſi, ſocietate conjuncti, conſervari atque augeri poſſunt. Quapropter Bonum paulò comprehenſiùs definitum oportuit.

§. 2.

§. 2.

Usitata est distinctio, quâ Bonum trifariam dicimus, Utile, Jucundum & Honestum.

Utile, quod amanti conducit ad assequendum majus bonum.

Jucundum, quod amantem delectatione juvat.

Honestum, quod amori Veritatis convenit, atque eapropter solùm amatur, quia Ratio, sive Veritas menti cognita, jubet.

EXPL.

1. Sic Bonum distinguitur, non ex oppositione rerum, quasi quod honestum est, idem non sit utile: vel quod sua jucunditate bonum est, adversum sit utilitati & honestati: hæc enim distinctio amantium errori tribuenda est, qui conjuncta, studiô suô cæcô separant. Verùm triplicis nominis bonum facimus, tùm ex rerum distinctione: tùm ex diversò ejusdem rei bonæ respectu, quô quidem aliô & aliô eadem res jucunda pariter & utilis & honesta est.

2. Utile ex Bono majori, ad quod confert, æstimari solet. Si E. G. oborta tempestate salus sit bona mercatori (enimverò esse quis dubitet?) jacturam fieri, utile erit, quia navi servandæ conducit. Bonum igitur utile non per se & suo nomine expetitur. Idemne ergò sunt utile & medium; bonum & finis? Sic videri possit minùs attentis. Idem esse contingit, si nimirum idem sit medium Operis & Operantis; ità ut quod Operans in certum finem destinat, etiam suâ naturâ illi fini assequendo sit aptum. Id igitur interest, quòd non omne medium illicò sit utile: ut sane non esse, necesse est, quoties Operantis aliud est medium, quàm Operis. Velut qui oleum addit camino, putans esse

esse aquam restinguendo incendio idoneam. Quapropter ut aliquid sit utile, satis non est esse medium: oportet, sit medium boni, quod amatur.

3. Jucunda sensui blandiuntur Unde Latinis jucundus dicitur aspectus, jucundus odor, sapor &c. Sic jucunda, quæ in deliciis habentur, & voluptati sunt. Bonum jucundum ab utili & honesto sejunctum amare & sectari alienum est à Viro bono. Quo sensu delicias, voluptates, res secundas, & quicquid amorem concupiscentiæ movet, in bonis habenda rectè negant Philosophi. Etsi autem Viro bono propositum non sit jucunda sectari, nihilominus lætitiâ verâ & jucunditate ex amore veritatis percipiendâ identidem affluit. Improbus jucunda consectans amore concupiscentiæ, facit se finem-Cui voluptatis suæ; ubique se veriùs, quàm quidvis aliud, amans & quærens.

4. Honestum eô solô constat, quòd amore veritatis & proposito obediendi fit, quod lex divina jubet. Quare Vir probus, qui, nullâ suî ratione habita, Deum facit finem-Cui & obedientiæ per omnia, non se, sed Deum unicè amat, paratus exequi, quicquid lege sua jusserit. Vide suprà cap. 4. §. 4. 5.

§. 3.

Bonum porrò vel suum est, quod Scholis Individuale dicitur; vel Communionis.

Illud est, quod ad suam cujusque naturam conservandam & perficiendam confert.

Estque Activum, vel Passivum.

Bonum Activum sunt omnes actiones nostræ, nobisuetipsis augendis, ornandis atque beandis susceptæ.

Bonum Passivum est usus & perceptio rerum naturæ nostræ conservandæ & perficiendæ utilium.

EXPL.

1. Hominem fecit Deus sociabilem, insito societatis appetitu, additoque sermonis usu & orationis vi, *humanæ societatis conciliatrice*. Unde tandem Caino parricidæ hominum consortiô carere perinde molestum & intolerabile fuit, atque supplicium, etsi impunitatem nactus primùm aliter sentiret. Quapropter homo, si quò natura ducit sponte sua sequi velit, duplici bono se natum arbitrabitur: Unum quidem vocabit *Suum*, se tanquam totum aliquod in ejus quærendi studio respiciens: Alterum verò *Communionis* esse dicet, se velut partem spectans alicujus *Totius*, cujus à salute & suam pendere persuasum habebit. Id quod priori longè excellentius est, atque ideò à Viris virtute præstantibus nunquam non antelatum. Enimverò hominem inter homines viventem, nullâ societatis curâ tactum, suis duntaxat inservire commodis, laude atque honestate caret.

2. Cùm hominis natura non tantùm accipiendo, sed etiam agendo perfici possit, Bonum suum *activum* à *passivo* doctrinæ gratiâ distingui placet. Posterior autem perficiendi ratio, quæ in actione consistit, priore hactenus nobilior est, quâ beatius est dare, quàm accipere.

3. Ad *Bonum activum* pertinent studium literarum, honesta recreatio, monumentorum editio, liberorum procreatio, in quibus, quasi alteris nobis ipsis, etiam mortui vivimus, in iisdem deumò morituri: Acta item vitæ varia, instituta & ambitiones, vocabulò absque invidia sumptô, sine quibus vita humana verè languida & vaga foret.

4. Bonum *passivum*, quod nobis perficiendis conducit, præstare videtur bono, quod conservandis prodest: quandoquidem morali saltem æstimatione, minus quiddam est, statum tueri suum, quàm

 eundem

eundem augere & amplificare. Fecit quoque Natura hominem utriusque appetentissimum, eaque propter iis instruxit affectibus, qui studio conservandi se & perficiendi commodùm subserviunt.

§. 4.

Bonum passivum vel ad animum; vel ad corpus; vel ad totum hoc, quod sumus, præcipue tuendum & perficiendum pertinet. Unde tralatitia distinctio Bonorum animi, corporis & fortunæ.

Expl.

1. IN animi Bonis numerandæ veniunt omnes bonæ artes & disciplinæ, quibus animus excolitur. Cumprimis doctrina Scripturæ S. *quæ secundùm pietatem est, utilis ad institutionem, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam quæ est in justitia. Ut perfectus sit Dei homo ad omne bonum opus perfectè exaptatus.* Dona item Gratiæ Divinæ, charismata Spiritus S. quæ cum zelo flagrantique cupiditate affectari jubet Apostolus: utpote sine quibus nulla satis idonea tot incommodis malisque animi humani remedia inveniri possunt: neque ulla arte humana ad animi perfectionem proficitur.

2.Tim.3. 16.17. 1.Cor.12. 31. 1.Cor.13. & 14.cap.

2. Bona corporis appellamus Sanitatem, sensuum incolumitatem, robur, pulchritudinem, & quæ ad ista concilianda, fovenda, augenda pertinent, cibum, potum, somnum, vigiliam, motum, quietem &c. quæ omnia quo fine, quo delectu, qua moderatione, sint appetenda Ethica præcipit.

3. Bona, quæ Vulgi error Fortunæ tribuit, sunt Honor, Divitiæ, Amici. Honore significamus affectum existimationis in eum, qui virtute suâ, vel officiô benè meretur de aliis, affectum testantes

verbo,

verbo, opere, gestu, aliisque signis communiter usu receptis. Ea testificatio si pauciorum sit, *Laus*; si plurium, *Bona Fama*; si non modò vivum comitetur, sed etiam mortuum sequatur, *Gloria* specialiter dici solet.

4. Divitiæ vocantur, quæ Dominorum usibus necessariis & magnificentiæ inserviunt. Earum partes, recensente Aristotele, sunt Nummi, Agri, 1. *Rhet.* Prædia, Supellex, Pecora, Mancipia. Quæ aliis 5. ita distingui solent, ut quasdam divitias dicant *Naturales*; quasdam *Artificiales*. Illas Natura hominum indigentiæ paravit, ut sunt, quæ ad victum, amictum & domicilium pertinent. Has arbitrium & usus hominum, necessitate res commutandi postulante, introduxit: qualis est pecunia, communis rerum utilium, quæ in commercio sunt, mensura. Vide *Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. lib.* 5. *cap.* 1.

5. Amicos dicimus, qui mutuo ac manifesto amore ob bonum honestum, jucundum & utile, se prosequuntur. Equidem quod in amicitia est Bonum, non *suum*, sed *communionis* esse videri possit: nihilominus amicis singulis ut *suum* hic spectari potest. Cùm enim amoris ea sit indoles, ut amantium uterque pars sit alteri, ad constituendum totum, unde amicus mihi est *animæ dimidium meæ*; haud dubiè amabili illa coalitione pars partem perficit, singulis quod desit, supplendo. Id quod in amore amicitiæ, qui amantem amanti per omnia æquat; item in conjugio, quod duos unam facit esse carnem, maximè locum habet.

§. 5.

Bonum Communionis est, quicquid ad tuenda & augenda Societatis commoda sectari virtutis officia convenit. Malum contrà, quicquid Societatis commoda retardat, intervertit, aut quoquo modo publicam tranquillitatem turbat.

EXPL.

1. HUc spectant, quæ cuique servanda vel agenda incumbunt, pro vitæ suæ instituto, conditione, statu & loco, quem in Societate Civili obtinet. Qualia sunt, ediscere, profiteri & exercere artes liberales & mechanicas, unde publico prosis: servare leges societatis civilis, conjugalis, herilis: sancta habere jura amicitiæ, fraternitatum, collegiorum, viciniatis &c. ferre quæ imponuntur onera publica, subsidia belli, & id genus alia: in quibus rectè constitutis salus & tranquillitas universorum versatur. Quæ etiam omnia è Societatis appetitu, quem Naturæ Author homini juxta Rationem insevit, satis evidenter deduci possent, nisi studio nobis esset brevitas. Cùm enim cuilibet homini, quantum in ipso est, colendam & servandam velit socialitatem, hinc consequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, sine quibus finis obtineri nequit, omnia ad istam socialitatem necessariò & in universum facientia ipso naturali jure præcepta: quæ eandem turbant, aut abrumpunt, vetita intelligi.

2. Sicut in Architectura aliud est, postes, trabes, columnas, tabulas &c. efformare, & ad structuræ usum præparare: aliud, partes partibus aptare & deligare. Ita hîc aliud est, doceri, quô pactô colendæ societati præparere, quod Ethica præstat: aliud, qua ratione homo hominibus societate civili con-

conjungatis, & quibus legibus devinctus societatem pro tua virili, & loco, tuearis &c. de quo Prudentia Politica præcipit. Ut adeò non sit metuendum, ne aliena ab instituto agamus.

5. Quæ in distinctionem *Boni sui* à *Bono Communionis* hactenus nobis dicta, ostendunt

1. Olim à vero Philosophiæ usu aberrâsse, qui specioso prætextu vitæ pacatioris procul turba hominum degendæ, negotiis rebusque civilibus sese subduxerunt: utut id ab antiquissimis quibusdam, qui virtutis suæ meritô cæteroquin justam habuere venerationem, factitatum legamus.

2. Pejùs peccare, qui nihil honestæ artis exercent, vitaque per silentium transita, animam pro sale habent, ne putrescant, *numerus* tantùm, & *fruges consumere nati.* Neque culpâ vacant, qui opibus per majores relictis contenti impunè abs sese ignaviæ litari credunt, quòd aliorum industriâ jam sit partum, unde victitent, immunes ad aliena pabula fuci. Et *qui divitiis soli incubuere repertis, nec partem posuere suis.* Et porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. Et id facinæ alia otiosa terræ pondera.

3. Vitam *contemplativam*, quam vocant, *activæ* non esse præferendam. Octo rationes Aristotelis, quibus ignavæ vitæ institutum nonnulli defendunt, nonnisi pro *Bono suo* & propria animi voluptate pugnant. *Nicomach. lib. 10. c. 7.*

ARETOLOGIÆ
PARS POSTERIOR.
DE
Virtute ejusque officiis, & Virtutis acquirendæ adminiculis.

CAPUT I.

De Virtute & causis ejusdem procreantibus.

§. I.

Virtus generatim spectata, est amor Veritatis unicus, quam Conscientia legem in faciendis & omittendis præcipit.

Expl.

1. HActenus de materia Virtuti subjecta, cui prior Aretologiæ pars, quæ generalis est, destinatur. Nunc dicenda sequitur ipsa Virtus &c. Propositam Virtutis definitionem paucis pro necessitate explanabimus, post argumentis etiam veritatem ejus adstructuri.

2. *Amorem* intelligimus non *affectionis*, qui passio, etsi & hunc comitem Virtus habere possit, sed *effectionis & obedientiæ*, quô animus totus in studium Veritatis propendet, eam ubique pressè & continenter sequendam firmiter sibi proponens. *Veri-*

tatem

tatem pura, quæ five per revelationem Scripturæ Sacræ, five per Rationem homini ad Conscientiam notificatur, & praxin vitæ humanæ instruit: qualis est; *Deum esse, fuem, Bonum, Exemplar, Dominum &c. hominis, ex toto corde, totâ animâ, tota cogitatione & omnibus viribus; proximum item non aliter atque seipsum, cuique esse amandum &c.* è quibus tota Lex & Prophetæ pendent.

3. Virtus autem est amor non cæcus, sed oculatus, rationabilis & liber, ex cognitione & judicio enascens. Hinc illa N. T. promissio; *Dans leges meas in mentem eorum, & in corda eorum inscribam eas.* Quod Deus facit dando intelligentiam, fidem & amorem legis suæ: quæ inde fidelium cuique *Lex mentis suæ* fit, per assensum, voluntatemque, quâ & *Legi Dei condelectatur*, & non aliam, quam hanc, legem sibi dicit, vicem Dei subeunte Conscientia, juxta illud Hieropsaltæ Deum alloquentis; *Tibi* (i.e. pro te, vel vicem tuam, confer Exod. 4. 16.) *dixit cor meum; quærite faciem meam.* Viden' legem mentis? Cui etiam sese obsequentem illicò præbet, ut intelligas amorem, quo legem amplexus est, quando subjicit; *faciem tuam, Jehova, quæro.* Heb. 8. 10. Rom. 7. 23. v. 22. Psal 27. 8.

4. Amor ille Veritatis est *unicus*. Virtus solam *Veritatem*, velut sponsum, sinu complexuque suo dignatur, huic soli se committit, totamque se addicit: eam solam judicandi agendique regulam inconnivis, quasi oculis respicit, & continenter addicteque sequendam statuit, non spectans voluptatem, honorem, lucrum, aliave sua commoda. Voluptuarius rerum jucundarum sensu capitur: ambitiosus passione sua transversus agitur: Vulgus opinione vel consuetudine vivit, aut quod in prochvi est facit, semper quò sensus & imaginatio ducit, sequi paratus. Contrà Vir bonus, sensuum turbis consilescere jussis, unam veritatem consulit, & ubique sive intus, sive foris, loquentem audire amat, probè gnarus, non ex virtute fieri, neque adeò

laudi fore, nisi quod ex uno Veritatis amore & studio proficiscitur. Quòd si aliud amare velis juxta Veritatem, eam hôc ipsô non amabis; quia falsum est, Virtuti conveniens esse, *aliò, quàm ut Veritati obedias, animô agere*. Ex quo & illud consequitur, *amorem Veritatis*, qui virtutem constituit, *esse constantem*: Veritas enim est, *Deum semper esse finem. Cui & obedientiæ, Bonum & Exemplar hominis*. Hanc qui, ut par est, amat, constanter amabit.

5. Veritas æternæ, indemutabilis & inviolabilis justitiæ, æquitatis & ordinis interpres, vim obligandi conscientiam obtinet & exerit apud amantem sui. Hinc eam legem dicit affectibus, actionibus, motibusque membrorum. Viro bono id curæ est, ut nihil ex affectu, quidvis ex amore veritatis, agendum suscipiat, affectum, quantum potest, obsequentem habeat, in agendo verum finem, modumque teneat, & motus membrorum ad bonæ mentis obsequia temperet, atque ut compendiô dicam, disciplinam veritatis legem vitæ putet, sibi ipsi verum cernenti obtemperet, & decretis suis pareat. Virtus igitur intra veritatis amorem non subsistit, sed actione & exercitio sese spectandam profert. Unde Sapientiæ præcepta non tantùm *tabulæ*
Prov.7. *cordis inscribenda* sunt, ut scias & ames, verùm etiam *digitis alliganda*, ut iis opereris.

6. Hisce sic explanatis nunc paucis fidem firmemus argumentis. Primùm, in eo nobis cum aliis Authoribus non malè convenit, quòd Virtutem ponimus in *amore Veritatis &c*. Sunt enim, qui Virtutem definiunt *amorem Rationis unicum*: Sunt, qui, *amorem Ordinis dominantem*: Sunt, qui *constans animi propositum vitam componendi ad legem*: Sunt qui aliter &c. Nobis dicitur Amor Veritatis &c. 1. Ut, quæ definitiones istæ exhibent singula, nos communi nomine amandæ veritatis complectamur universa. 2. Ut declinemus contentiones super Ratione hominis peccatô corrupti. Causantibus, *Rationem solam*

solam, quippe corruptam, ad vitæ informationem non sufficere; satis non est respondisse; *Rationem depravatam non esse Rationem: quemadmodum impurum aurum non est aurum, sed aurum & scoria: sic depravata ratio non est ratio, sed ratio cum præjudiciis, captionibus & affectibus.* Rationem enim adæquatam vitæ normam non esse peccatori, jam supra nobis notatum est: quanquam si quæ sola Ratio docet curarentur, res humanæ meliùs haberent.

3. Doctrinam morum Verbô Dei scriptô eò traditam & per universum terrarum orbem publicatam, ut certior vitæ dirigendæ norma esset, quis verò dubitet? Accedit, quòd quanquam plerumque quid honestum, quid turpe sit, naturâ constet, Deus nihilominùs, lege solenniter lata, quid faciendum, quidve omittendum sit, edicere voluerit, ut palam fieret, virtutis officia non ideò solùm esse præstanda, quia præstare honestum sit naturâ, sed quia Deus præcepit. Virtus igitur amore præcepti divini & obedientiæ continetur. 4. Nostra definitio etiam in virtutem Christianam, quæ sola φρενήρης virtus est, quadrat. 5. In amore veritatis concurrunt, quæ boni operis laudem complent, qualia sunt, *Conscientia & Voluntas bona, fides non fucata, intentio veri finis, studium comparandi vitam ad legem &c.*

7. Deinde quia Virtus haud dubiè decus est, & splendor imaginis divinæ, de qua certior Deô καρδιογνώστῃ testis audiri non potest, consulenda nobis sunt Oracula Scripturæ divinæ, quæ benè multa definitioni nostræ illustrandæ & confirmandæ suppeditat. Ibi *beatus* (qualis est Virtutis cultor) prædicatur, *cujus in lege Jehovæ voluptas est*. *Qui timet Jehovam, & præceptis ejus se oblectat valde.* Id studium suum passim profitetur David, cumprimis totô Psalmô 119. verbis hujusmodi frequenter ingeminatis; *In statutis tuis delicior. Testificationes tuæ*

Psalm. 1: 2. & 112: 1.

Psalm. 119: 16. 22, 24.

Joh. 14: *tuas amplexus sum. Testificationes tuæ oblectamentum*
15. 21. *meum, consiliarii mei* &c. Christus discipulos, quos,
23. 24. si ipsum diligant, demùm præcepta sua servaturos
& 15: dixerat, *in veritate* Dei, h. e. cognitione & amo-
10. re Veritatis *sanctificari* petit: ut sint inculpabiles,
Joh. 17: & tanquam φωστῆρες virtutis exemplô luceant in
17. mundo. Enimverò Christum reaple diligit, qui
veritatem, quam velut lucem, ipse Lux æterna,
mundo intulit, totô animô amplexus in deliciis ha-
Joh. 3: bet, lucemque amat & in ea ambulat. Contrà *pra-*
20. *va facienti lux odio esse* dicitur: *Et si dicamus, nobis*
1. Joh. 1: *communionem esse cum Deo, qui lux est, & in tene-*
5. 6. *bris ambulemus, mentimur, & non facimus verita-*
1. Joh. *tem.* Unde qui præceptum charitatis, *quod verum*
2: 8. *in Deo, & in nobis*, totiusque legis compendium
Matt. est, servant, *ex veritate esse* perhibentur. Qua-
22: 37-- propter & *refragantes veritati* & *obsequentes injustitiæ*
40. ἐκ ϖ͠δ ἀλλήλας ponuntur, *veritasque* & *injustitia* op-
1. Joh. 3: ponuntur. Nimirum justitiæ est *obedire veritati*,
19. h. e. eam amare, juxtaque eandem agere. Ex ad-
Rom. 1: verso injustitia est, *amare mendacium*, eumque amo-
18. & rem agendo ducem sequi. *Bonum* igitur *opus*, A-
2: 8. postolo designatum, est veritati obedire, & juxta
Rom. 2. eandem agere. Unde nullô negotio conficitur, vir-
7. tutem in amore veritatis, eoque unico & perpetuo,
rectè constitui. Accedit, quòd inter elogia chari-
tatis, quæ virtus dubio procul est nobilissima, imo
omnium officiorum virtutis breviarium, numera-
1. Cor. tur; *non gaudere injustitiâ, sed congaudere veritati*:
13: 6. nosque ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ vera sentire, loqui &
Eph. 4: agere, in dilectione jubet Apostolus.
15.

8. In primis consideratione dignum quòd Aposto-
lus imaginem Dei in homine novo etiam constituit
Eph. 4: in ὁσιότητι τῆς ἀληθείας quod *sanctum est studium verita-*
22. 24. *tis*, oppositum *concupiscentiis deceptionis*. Hebræa vox
Jer. 2: *Hhasad*, cui Græca in textu etiam ex usu LXX. Inter-
2. pretum respondet, *pium* notat *studium*. Unde Hasidæi
Hos. 6: *religiosi, pro lege zelantes*, dicti Israelitæ, in Macca-
4. 6. bai-

tatis. Certè ὅσιος est, qui facit ὅσον δύναται, πᾶν ὅσον ἐστὶ δίκαιον καὶ ἐπαινετόν. *quantum potest, quicquid justum est & laudabile.* Et Aristoteles dixit, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Sanctum esse, veritatem amicis in honore anteponere.* Ἔμφασιν Apostoli extenuant, qui *sanctitatem veritatis* per Hebraismum pro *vera & non fucata sanctitate* dictam volunt. Quis dubitet, utrùm, si sanctitatem solam dixisset, aliam à vera & genuina intelligi vellet? Cæterùm *justitia* & *sanctitas* eò differunt, quòd quæ *sancta*, i. e. ex amore veritatis facta sunt, eadem & justa dicantur, quatenus adversus criminationem omnem sustineri atque defendi possunt: eadem deinde sanctitas, ubi perfecta legis impletione constiterit, qualis est illa servatoris nostri, *Justitia* denominatur ex jure, quod affert in præmium lege promissum.

Mich. 6: 8. Neh. 13: 14. 1. Maccab. 2: 42. & 7. 13. 2. Maccab. 14. 6. Nicom. l. 1. c. 4.

9. Peripateticis & Scholasticorum vulgo Virtus dicitur *Habitus electivus in mediocritate consistens, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus.* Quod quominùs ipsis assentiamur, sequentia impediunt argumenta. 1. Ista definitio Virtuti veræ, quæ gratiæ divinæ donum, non industriæ humanæ laus, & præterea luctantis, nec tamen unquam deficientis est, accommodari nequit. 2. Virtus agendi habilitatem usu comparandam antevertit. Unde enim actio bona, ex qua quæri velint habitum, nisi ex virtute? Quid, quòd benè agendi facilitas virtutis quotidiano auctu proficientis præmium sit, Deo opus suum non destituente sed perficiente, & dona sua coronante? tametsi cæteroquin amorem veritatis perpetuum in virtute requiramus, ususque firmari non negemus. 3. Adde, quòd non sit insolens, repentè bonum evadere, hactenus qui nequam fuit, *recepto Veritatis amore*, à quo usque huc animum habuerat alienum, *delectatus injustitiâ.* Satis porrò facilitatis habet, qui magno animo, quem præstat Veritatis amor, difficilia superat. Inter consuetudinem

2. Thess. 2: 10. 12.

dinem verò & amorem latum sapienti discrimen est. Callum habet consuetudo, incommoda non sentiens: Amor contrà, sensu vivax & tener, incommoda perrumpit, vincit & obterit. Ut igitur fortè felicior sit *habilitas*; at certè generosior est *amor*.

Nicom. lib. 2. c. 9. 4. Virtutis quidem est *invenire & eligere medium*, in actione & passione tenendum: veruntamen ipsam virtutem appellare *medium* vel *mediocritatem* perinde foret, atque si Mesolabium dicas duo illa media proportionalia, quæ ejus ope inveniuntur. Eatenus igitur Virtus in mediocritate consistit, quatenus *Veritatis amor* in quibusdam modum sequendum dictat, in quibusdam ad summa incitat: nam Deum, exempli causâ, nimiùm colere non possumus: superstitio enim non eò peccat, quòd nimiùm, sed quòd perversè colat: neque ipsam veritatem undecunque effulgentem nimiùm amare, neque mendacium nimiùm odisse possumus. Rectè A. Gellius. Noct. Att. l. 4. c. 9. Esse quædam, inquit, ut virtutes, *quorum amplitudines nullis finibus cohibentur; sed quantò majora auctioraque sint, etiam tantò laudatiora sunt*. Quod etiam vulgò Virtutem utrinque oppositis stipatam vitiis Excessûs & Defectûs, & quasi rosam inter spinas efflorescentem, introducunt, perbelli quidem spectaculi speciem præbet, sed quæ usquequaque locum habere non potest. Quo de videsis Grotii Prolegomena in libros de J. B & P. §. 43. &c.

§. 2.

Virtutis causa procreans principalis est Deus, qui unus Author omnis boni Virtutem homini, velut imaginem sui imprimit, dando

1. Notiones, quæ utiliter animadvertuntur, quæ virtuti colendæ argumenta & adminicula suggerit natura & conscientia.

2. Intelligentiam verbi Fœderis Gratiæ, quo solò Deus peccatori amabilis in Christo Servatore cognoscitur.

3. Assensum fidei & adstipulationem in Verbum fœderis, ex qua sola amor Dei, ejusque sanctitatis, rectitudinis, justitiæ, omnisque veritatis concipitur.

4. Operando ipsum velle & perficere, propter beneplacitum suum. Phil. 2: 13.

Causæ administræ morales & externæ sunt; 1. Doctrina & legum institutio. 2. Exemplorum consideratio, & cum Bonis Consuetudo. 3. Exercitatio.

Expl.

1. Turpem sui ignorantiam prodidere Gentilium Sapientissimi, quando hoc se divini muneris habere dixerunt, quod viverent: sui verò, quòd benè viverent: metuentes ne sibi periret gloriandi materia. *Propter virtutem enim*, inquit Cic. *jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur.* Quod non contigeret, *si id donum à Deo, non à nobis haberemus. At verò aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali, cùm Diis gratias agimus, tùm nihil nostræ laude assumptum arbitramur. Num quis, quòd bonus vir esset, gratias Diis egit unquam? At quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis.* Vertiginosam Senecæ imaginationem sapit impia vox, *Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. Ille naturæ beneficiò, non* De Nat. Deor. l. 3. Epist. 53.

suô, sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei! Fuere quidem Philosophi, qui virtutem nasci dicerent: quemadmodum de Scythis Justinus, *hoc illis naturam dare*, inquit, *quod Græci longa Sapientum doctrina, præceptisque Philosophorum consequi nequeunt.* Plerique virtutem, etsi semina ejus natura dedisset, arte & industria comparandam dixere. Rarissimis, & quasi fortuitò excidit; *Nulla sine Deo mens bona est.* Item, *si quid boni egeris, ad Deum referto.*

Lib. 2. c. 2.

Sen. Ep. 3. Bias apud Laërt.

2. Nos, si verum amamus, in eo hæsitare non sinit Verbum Dei καρδιογνώστης, cui uni deplorata naturæ nostræ conditio penitus est perspecta: Proximum videlicet adipiscendæ virtutis gradum esse sui cognitionem, & ut quisque maximè suæ inopiæ, impotentiæ, ignominiæ & turpitudinis conscientiâ dejectus est, ita optimè in suî cognitione profecisse. Neque hic periculum, ne sibi nimium adimat homo; dummodò recuperandum in Deo discat, quod sibi deest.

3. Virtutem porrò veram sui esse muneris, Deus ad conscientiam nostram demonstrat, cùm disertis, iisque quàm plurimis Scripturæ S. testimoniis; tùm verò operosâ illa Legis œconomiâ atque disciplinâ, quâ populum Israeliticum non modò arctè continenteque habebat, sed etiam verbô docebat, factis mirabilibus & beneficiis alliciebat, exemplis justorum invitabat, castigationibusque reprimebat, eo in plerisque ejus generis successu, ut tandem cum carne contendens, de ejus ἀδυναμίᾳ, plus satis evictâ, diceret; *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea? Quare exspectavi quidem, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Cæteris interim gentibus in corruptione sua quasi sepultis. Umbra virtutis in Gentilium moratioribus, argumentum est συμφέροντος & disciplinæ, qua Deus se non *passus est esse ἀμάρτυρον.* Vide suprà Cap. 2. Part. 1. §. 3 n. 2.

Esai. 5: 4.

4. Fu-

4. Fundo igitur tàm infelici & sterili, qualis suâpte naturâ est animus noster, non alium quàm Dei Spiritum cultorem exposcimus. Is *bonum opus in nobis orsus etiam consummat*, dans νόησιν, intelligentiam, fidem *δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην*, ut in Theoremate πρακτικῶς saltem adumbramus, alibi eadem pertractaturi accuratiùs. Quis verò intelligentiam dabit, quis amorem veritatis, nisi qui fons est & exemplar omnis veritatis? Quis imaginem suî in animo hominis refinget, nisi qui hominem primitùs ad eam formavit? Hinc adeo Virtus *justitiæ fructus per Jesum Christum ad gloriam & laudem Dei*: *fructus item Spiritûs S.* dicitur. *Phil. 1:6.* *Phil. 1: 11.* *Gal. 5. 22.*

5. Obj. Sed carni suapte sponte ad veri bonique studium torpenti hôc pactô nil nisi desidiæ occasionem præbemus, hominisque officio locum excludimus. Resp. Sunt, quæ hominem totum occupare possint debeantque, causæ nim. administræ, morales & externæ, quæ Theoremate exhibentur: quanquam, propter soli maligni infœcunditatem, nec illis quidem ad rectam virtutis culturam sine Deo proficere detur. *Neque is qui plantat aliquid est, neque is qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Plura videsis, ubi de virtutis acquisitione. *1. Cor. 3: 7.*

6. Quas vulgò Virtutis causas administras internas dicunt, puta Notiones honesti, veluti virtutis semina innata, Synteresin & Conscientiam &c. non tàm causæ sunt procreantes, quàm subjectum, δεκτικὸν, hominem scilicet disciplinæ capacem, arguunt.

CAP.

CAP. II.

De Proprietatibus Virtutis, Diligentia, Obedientia, Justitia correctrice, & Humilitate.

§. 1.

Virtutis propria sunt, Diligentia, Obedientia, Justitia correctrix, & Humilitas.

Primum, quod ex Amore Veritatis proximè manat, est Diligentia, sive studium totô animô attendendi & inquirendi veritatem.

Ejus partes sunt Aversio mentis à rebus, quæ veritatis studium impediunt; & Conversio mentis ad se suamque conscientiam.

EXPL.

1. QUatuor ista ex amore Veritatis proximè profluunt. Si enim ames Veritatem, sequitur, ut eam ausculties, quæ est *Diligentia.* Utque facias, quod illa jubet, quæ est *Obedientia.* Porrò si ames veritatem unicè, facies *id unum*, quod illa jubet, neutrò deflectens, quæ est *Justitia correctrix*, nec rationem habebis tuî commodive tui, quæ est *Humilitas.* Hæ quidem totidem virtutes distinctæ, quasi Cardinales, seu Primitivæ videri possent, nisi necessariò in virtute simul inessent, & ad nullam externam circumstantiam speciatim referrentur.

2. Quia Veritas practica, sive Ratione, sive Scripturarum S. traditione pernotescat, in eo est tota, ut dictet, præscribat & suggerat, liquet eam à nemine adamari, qui non auscultet, totumque animum

mum ad ejus dictata applicet. Hinc *Sapientia summa publicè clamans, in foris edens vocem suam, in summa turbarum perstrepentium prædicans, in ostiis portarum, in urbe dicta sua proferens*, nusquam non auditores attentos sibi parat & exposcit. Leguntur in hanc rem priora capita Proverbiorum Salomonis. Hoc opus, hic labor est, ut mens cogitatione à rebus externis avocata, intrò quasi ad se & sua adyta jugiter secedat, Rationem & Conscientiam è Verbo Dei informatam consultura & auditura, nequicquam interstrepentibus sensuum, affectuum & inclinationum turbis, quæ animum distrahunt, menti caliginem offundunt, & veri cognoscendi viam intercludunt. *Prov.* 1. *20.21.*

3. Duo igitur Veritatis studioso curæ sunt. I. Secum habitare, animumque à rebus externis, quæ sensum movere & concupiscentiam inescare solent, avertere, præjudiciis, erroribus, opinionibus vulgò receptis & servitute, quam affectus & mos, quòvis tyrannô pejores, imponunt, expedire assuescit. Quia Veritas, undecunque demùm suggeratur, non nisi intus & in mentis penetrali percipitur, ut quæ de Intellectu nobis dicta sunt, plus satis comprobant. II. Animum contrà ad Veritatem convertit, eam unam instituto suo Magistram expetens. Eò pertinent

1. *Assidua Attentio ad Rationem*, quæ notionibus veri bonique præceptis & insitis, quid ex quo efficiatur concludit, & quæ officii sunt nostri definit. Opus quidem nimiò plus laboriosum imperamus, quod vulgò vix tentatum tædio esse solet, imaginatione, sensu, affectu, opinionibus insolitis, vitæ negotiis & institutis attentionem illicò interturbantibus. Ut tamen feretudo attentionis labori assuescat juvenilis ætas, inter quotidiana pietatis exercitia, iis primùm imbuenda videtur disciplinis, in quibus sola Ratio & Demonstratio valent, quæque minimum habent contentionis, nec affectum

fovent, sedati nos præparant meditandi notiones claras & experimenta indubia, in quibus sunt, ut cum Poëta dicam, *fundamenta quibus nixatur vita* Sen. Ep. 88. *salusque*. Facessant artes, quarum *consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit: & ideò non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt.*

2. *Lectio & Meditatio Verbi divini*, auditu præconii ejus juvanda. Enimverò nulla Ethica Scripturæ S. æquiparabilis est. Cùm usus Ethicæ sit affectus subigere, & animum ad felicitatis consecutionem effingere; qui eam tradidere Gentiles Philosophi, animi facultates ac motus partim videntur ex vero intellexisse: in nostris, qui indagando mentis naturam ingenium præstitere suum, multa etiamnum desiderantur. Atqui Scripturarum Author animorum humanorum fabricam, facultates, vires, unà cum defectibus & vitiis, penitissimè perspectas habens, modum in ipsos operandi accommodatissimum validissimumque minimè nescit. Quidni verò horologium, si vitium facit, ab horologiopœo melius, quàm ab artis imperito, restitui possit? Scriptura S. etiam, quæ admiranda ejus ubertas, ita diversis hominum ingeniis attemperata est, ut vix ulla reperiatur tàm insolens animi indoles aut rerum conditio, in quam non ita planè quadret aliquis Scripturæ locus, ac si ex omni mortalium genere huic soli fuisset comparatus, & quod olim Propheta
2. Sam. 12: 7. Nathan dixit Davidi, huic itidem dictum foret, *Tu es homo.* Quapropter Scripturarum S. lectio & meditatio, auditu præconii adjuvanda, Virtutis cultori utilitate sua nunquam satis commendari potest. Utinam verò discendi studium docendi officio hac in parte responderet!

3. Superest, *ut eadem sæpiùs apud animum revolvamus, ruminemus, & usu familiaria reddamus, in quibus aliquando veritas liquidò nobis affulsit.* Perpetua enim illa & familiari consuetudine complexuque veri-

veritatis tandem etiam ibi assequemur eandem, ubi vel maximè vim intelligentiæ fugere videtur. Quemadmodum Convictores, qui te quotidiè multum utuntur, etiam in crepera luce versantem, aut habitu peregrino indutum, facilè & ad primum subinde obtutum agnoscunt, id quod vicinis, qui te rariùs conveniunt, non æquè expeditum est. Cui autem veritas obvia & aperta vilis & contemptui est, nunquam sanè fruetur eadem, ubi recondita & cara fuerit. *Derisori quærenti sapientiam, ea non extat.* Prov. 14:6.

§. 2.

Secundum, quod ex Veritatis amore nascitur est Obedientia, h. e. Executio ejus, quod Veritas, æternæ justitiæ, æquitatis & ordinis interpres, præscribit.
Obedientiæ partes sunt, facere quod juberis; & Omittere quod vetaris.

EXPL.

1. UBi Diligentia Veritatis auditorem te fecerit, eamque audiendo perdidiceris, proximum est, ut, eodem amore instigante, quod veritas faciendum docuerit, exequare. Absurdum enim fuerit, veritatis amantem, simulque, id quid ipsa te velit, intelligentem videri velle, id ipsum tamen, cùm res postulat, effectum non dare.

2. Ut Legis, sive veritatis practicæ, itidem Obedientiæ, duæ sunt partes. Illius quidem partes sunt *Jubere* & *Vetare*: hujus *Facere* & *Omittere*. Quod jubet sive Ratio, sive Lex Scripta, præstandum est, quoties ita res tulerit. Quod vetat omittendum est semper. Jubet Ratio sumere cibum, reficere corpus: hoc igitur aliquando faciendum: nimirum, ubi, quando, & quomodo faciendum Ratio præceptis Scripturæ S. instructa docuerit. Ea-

dem vetat seipsum interimere: id ergò omittendum semper. Hinc illa Scholis usitata distinctio inter *Praeceptum Negativum* & *Affirmativum*. Illud ad quodvis tempus obligat, quod Scholis dicitur *semper & ad semper*: hoc non item.

3. Ut nos ad obediendum componamus, juvabit, animum paulatim abducere ab agendis iis, quæ Vulgi solummodò institutis, moribus & consuetudine contineri certò scimus: quin etiam quàm studiosissimè cavere, ne quid unquam faciamus ideò solùm, quia sic facere moris sit, aut usu receptum & consensu hominum ac authoritate firmatum: Sed tantùm, quia Deus jubet, & amori veritatis convenit. Lex humana & Consuetudo vim legis obtinens per se non obligant: faciendum nihilominus est, aliquando saltem quod homines jubent vel consuetudo fert, sed ea duntaxat ratione, quia amori veritatis convenit, & Deus in hoc illove casu iis morem gerere jubet. Finem enim ultimum-Cui & Obedientiæ non alium Operanti habendum esse, quàm Deum, æterna veritas est.

4. His insuper habitis, quam vel Ratio, vel Scriptura S. docet Veritatem proclive est obscurari, & cum iis, quæ usu & legibus humanis constituta sunt, confundi. In quo etiam Aristotelem cum vulgo errasse contigit, quando *honesta*, inquit, & *justa, quæ civilis scientia considerat, tantam differentiam, tantamque errorem in se habent, ut lege, non naturâ esse videantur.* Unde ex communi judicio pleraque definivit, & ad popularem sensum accommodavit. Quod ipsemet etiam, incertus animi, se facturum sequentibus verbis non obscurè professus, latam communivit viam vitiis popularibus, quæ passim in Ethicis suis pro virtutibus venditat. Atqui sanè virum bonum ea maximè cura habet, ut quæ hominum moribus, placitis atque institutis constant, ab iis quæ rationis judicio vera comperiuntur, cautè discernat.

Nicom. l. 1. c. 1.

§. 3.

§. 3.

Tertium, quod ex Amore Veritatis consequitur, est Justitia illa διορθωτικὴ, quæ tùm quod nimium, tùm quod minus est, seu excessum pariter & defectum ab actione obedientis præcidit.

Ejus partes sunt Puritas, quod nimium est resecans; & Integritas, quod justò minus est, supplens.

E X P L.

1. QUia Virtus est Amor Veritatis unicus, Virtutis cultor à veritate, quam Ratione verboque Dei scriptò compererit, non deflectet, neque adeò plus justò, minusve faciet vel omittet. Utrùm verò Justitia Obedientiam præcedat, an sequatur, non facilè definiverim. Justitia actionem, quam suscipit Obediens, supponere videtur, quippe cùm excessum & defectum resecet. Rursus tamen & hoc verum video, actionem non fore Obedientis, quam justitia non antè castigârit, præcisô eô, quod verum excedit, & suppletô, quod desit. Sed non multum referre videtur, quem illæ sorores, Virtutis filiæ, natalium suorum ordinem habeant, modò universas communi parente natas, mutuoque amplexu & indissolubili nodo implicatas, pari affectu & studiô prosequamur.

2. Justitiæ duæ quasi manus sunt, *Puritas* & *Integritas*. *Illâ* gladium gerens, quô quod nimium est, resecat; *Hæc* bilancem, quâ quod minus est supplet, actionem velut ad æquilibritatem reducit, διορθωτικὴ *Directrix* & *Correctrix* inde dicta. Quod nimium est, peccatum *Excessus*; quod minus est, peccatum *Defectus* appellatur. Quare si nomini moris vel actionis particulam *nimis* vel *minus* adjunxeris, eo ipso vitium in excessu vel defectu significaveris:

velut si nimis vel minùs liberalem pro prodigo, vel avaro dicas.

3. Illud autem probè tenendum, particulas *Minùs* & *Nimis* nominibus morum vel actionum additas perinde *alienantes* esse, atque si adjungantur notis numeralibus, aliisve rebus, quibus si quid addas, vel demas, natura mutatur. Quemadmodum qui plus quàm quatuor, non jam quatuor, sed minimùm quinque: & qui minus quàm quatuor, non jam quatuor, sed ad summum tria significat. Et falsum alienat aurum, ut non jam aurum, sed aurichalcum, vel simile quid, dici debeat. Sic qui nimiò plus & qui minus, quàm par est facit, non jam ex virtute facit. Qui nimis & qui minùs, quàm oportet, castus est, nequaquam castus est. Qui tantillò plus minusve facit, quàm faciendum docetur, non jam Veritati, sed mendacio & concupiscentiæ obsequitur & peccat. Parum abfuit, fateor, quin obediret: atqui ad id, ut non obedivisse, vel peccâsse dicaris, quid refert, procul, an propè à vero abfueris? Stas in præcipitio vel crepidine saxi; vacillas, pedem inde moves: quid refert, pedem non majori movisse intervallo? quando hoc solùm, pedem movisse, horribilis tibi lapsio & certissima nex est. Quid refert, circa portum naufragus intereas, an in alto mari, ubi *nihil est nisi pontus & æther?* Breve tamen istud justi & injusti confinium non impedit, quominùs delicta & *specie* & *gradu* differant. Cùm enim malum existat ex quolibet defectu, quò plures, iique insigniores in actione quapiam defectus notantur, hoc ipsa pejor haberi meretur.

4. Idem porrò vitium diversa ratione consideratum & Excessus & Defectus esse potest. Ex. c. Avaritia liberalitati opposita vitium est defectus: eadem verò opposita frugalitati & parsimoniæ est excessus. Quod etiam in aliis quàmplurimis observare est, quæ propterea ad *disparatorum* categoriam referri solent

leur à Logicis, quanquam Virtus & Vitium in *adversis* numerentur.

5. Adminiculum justitiæ erit, si diligenter perpendamus, *res non esse, quod esse dicuntur*, si tantillum desit, vel superet. Vulgus jactat & prodigit nomina, extenditque ad res, quibus minimè conveniunt; quod propemodum est, *esse* dicit; quod vix est, *esse* negat. Atque hæc nominum vitia hactenus fortè tolerari possent, nisi ex nominibus res ipsas, in maximam Virtutis fraudem, æstimare assuescerent. Cacoëthes sic satis commune est, etiam sceleribus nonnullis speciosa indere nomina. Sordes & Avaritia frugalitatis nomine veniunt. Impietas ipsa, mascula pietas appellari amat. Cædes, incendia, rapinæ, bellicæ virtutis laude commendantur; cædes singulæ quidem puniri, occisarum gentium, velut gloriosum facinus, triumphis ostentari solent. Adulatio & obtrectatio, certissimæ pestes in Republica, diversis viis, sed pari malignitate & damno, grassantur. Illa vitiis virtutum; hæc virtutibus vitiorum nomina imponit: unde saltem, incerto, si non penitus sublato virtutis atque vitii discrimine, proclive est rudioribus, virtutem nomine sinistro suspectam vel invisam odisse; vitium contrà specioso nomine decoratum & exemplis commendatum imitari.

6. Quæ si maturè sæpiusque animô revolverimus, defectus atque excessus etiam minus notabiles pro virili cavere studebimus. Decantatum fuit paradoxum Stoicorum; *Æqualia peccata esse.* Cic. *placet Stoicis, omnia peccata esse paria.* Quod non modo Philosophis aliis, sed & Patribus Eccles. inter errores Novatianorum meritò damnatum. Dogmatis tamen finem & fructum non celat Hieronymus; *Stoicorum quidem est*, inquit, *delicta omnia paria judicare, nec ullum inter scelus & erra-*

Acad. 5.

De Instit. Matrim.

erratum discrimen facere. Nos verò, etsi multum inter peccata distare credimus; tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Non citò ad majora procidet, qui etiam parva formidat. Judicis est, delictorum differentiam, quoad ejus fieri potest, accuratissimè examinare, ut intra meriti modum pœna consistat. Virtutis cultor, judiciô de peccatorum qualitate hactenus liberô & salvô, omnia pari studio & affectu fugit. Qui delictorum discrimina scrupulatim expendit, ut leviorum impunitatem sibi promittat, Conscientiæ Religionem & integritatem curæ non habet. Hinc etiam, quia peccatorum fœditatem, nisi ubi palpabilis est, diluere & speciosis prætextibus inducere solent homines, eô consiliô Deus in Legis suæ compendio, quod erat in unoquoque transgressionis genere deterrimum & scelestissimum exemplaris locô proposuit, cujus ad auditum sensus quoque exhorresceret, quò majorem peccati cujuslibet detestationem animis nostris imprimeret. Ex. gr. Ira & Odium in fratres, non usque adeò execranda putantur mala, quum suis nominibus appellantur, quia quæ nostra væcordia est, non putamus occidi, quem exosi vellemus non esse, nisi & injectâ manu faciamus, ne sic: at cùm interdicuntur nobis sub homicidii nomine, rectiùs intelligimus, quanta sint in abominatione apud Legislatorem, cujus voce in tàm horrendi flagitii ordinem rejiciuntur, atque sic judiciô Dei permoti, delictorum, quæ priùs levia videbantur, gravitatem melius reputare assuescimus.

§. 4.

§. 4.

Denique ex Amore Veritatis etiam fluit Humilitas, quæ est incuria & neglectus sui præ amore Veritatis.
Partibus illa constat duabus; Inspectione sui; & Despectione sui.
Illa, quis ac qualis sim, identidem inquiro.
Hac, nulla meî ratione ductor, meipsum abnegans, derelinquens, totum Veritati, totum Deo dedens docendum, ducendum.

Expl.

1. Humilitas etiam genus suum proximè ducit ex amore Veritatis, Diligentiæ, Obedientiæ ac Justitiæ Soror, Virtutis filia. Utrùm verò natu maxima, an minima dicenda, quove ordine numeranda sit, judicatu difficile est. Etenim propiùs inspicienti, nunc diligentiam ortu suo antevertere, nunc ipsa justitia, nunc obedientia esse videtur. Quomodo enim diligentem Veritatis auditorem se præbebit, qui suî curam habet? se qui audit? secum qui garrit, mussitat, imò vel hiscit? Rursus, se qui negligit, quid aliud, quàm gladium illum justitiæ stringit, quô superflua rescinduntur? Et cùm inter Veritatis præcepta sit illud; *nullam suî rationem esse ducendam præ amore Veritatis*: nonne huic qui obedit, seipsum negligit? Nunquid ergò humilitas unum atque idem erit, quod Justitia & Obedientia. Vix equidem mihi consto, non habens quod dicam; nisi Sorores istas, justa necessitudine devinctas, arctisque benevolentiæ brachiis se invicem amplexas, mutuâ prærogativâ impensiùs, quàm suâ gaudere: ut hactenus universæ quidem simul exambiri velint, quælibet tamen sibi quamlibet anteferri, non jam solùm molestè non ferat, sed id fieri seriò gestiat.

2. Hu-

2. Humilitas est Neglectus, vel contemptio quædam sui, sensu non affirmativo, sed negativo, intelligenda. Nec enim ut humilis perhibearis, necesse est, teipsum infames, malè accipias, indignis modis tractes, Veritatis lege *per se* nihil horum injungente: *per se*, inquam: ex causa enim fieri potest, ut horum aliquid præstare tenearis, Velut si è gangræna laboret membrum, ustionem vel sectionem admittis, quia *immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Humilitas contemptus est sui *negativus*, quô Philaretus de se non laboret, se non curet, nullam sui rationem ducat præ amore Veritatis. Potest sanè quidem Vir bonus parare, quæ corpori commoda sint & animo suavia, attamen ut ne sui, sed veritatis causâ & amore agat, cautio est. Verissimum namque est, vitam non esse prodigendam, sed servandam: corpus quandoque esse reficiendum, animum relaxandum, ut quod operis & muneris habes, ad laudem Creatoris exequare.

3. Nec temerè additum illud; *præ amore Veritatis*, vel, si malis, *Dei*, quem jam pridem Veritatis authorem & exemplar agnitum veneramur. Unde enim, nisi ex amore Dei & Veritatis illa sui contemptio proveniret, philautiâ homini adnatâ nusquam non se ingerente, nihil non vitiante? Qui nullo Veritatis amore incenduntur, quando vel maximè seipsos contemnere atque negligere videri volunt, hoc unum agunt, ut se suaque curent. Qui tem familiarem obliniant, perpotant, in multam lucem, imò totos dies stertunt, sui rerumque suarum securi, quid nisi de se laborant, suâ causâ desides, officiumque deserentes, ut genio indulgeant, laboris atque molestiæ vacui? Et qui mortem anticipant desperabundi, nonne suâ maximè causâ tantum audent nefas? scil. ut paupertatem, infamiam, supplicia, & quæ id genus sunt alia effugiant. Succurrit etiam illud Apostoli; *Quisquis totam legem servave-* Jac.2.10.

vixerit, impegerit autem in uno, damnus factus est omnium. Qui verò: Nempe non servat animò obedienti & amore præcepti, qui delectum habens vel unum ex omnibus præceptis reservat. bedientiam enim sui vult esse arbitrii, obedire paratus, quoad placuerit: itaque totam legem pro lubitu servans, in uno pro lubitu peccans, sui veriùs, quàm legis amori obsequitur, universæ Legis & Legislatoris contemptor.

4. Ante omnes scientias unam homini necessariam, nempe scientiam sui, identidem nos meminisse jubet jam Priscis decantata, imò Pythicis Oraculis adscripta vox, *Nosce te ipsum.* Tantò quippe fœdior sui est ignorantia, quò pluries & turpiùs hallucinandi peccandique causa existit. Hanc priorem Humilitatis partem facimus *Inspectionem sui*: cujus duo præcipua sunt præcepta, *Quid* videlicet, & *quo fine* nobis sit inspiciendum.

5. *Primum* quod attinet, Homo & omnia hominis sunt excutienda, Intellectus, Voluntas, sensus, affectus, habitus, inclinationes &c. ut quæ singulorum vires, quis usus & abusus, qui defectus, quæ vitia adnata & contracta: quid item nostrum, quid alienum fit &c. Quid Deo; quid nobis, quid aliis, naturâ, dependendi necessitate, conditione &c. debeamus, compertum fiat. Hæc secum identidem meditari ad vitam tùm emendandam, tùm rectè formandam, quàm maximè expedit. Largam meditationi materiam suppeditare possint, quæ suprà de Intellectu, Voluntate, affectibus & habitu disseruimus.

6. Quantum ad *Alterum*; Cavendum est sedulò, ne quod Philosophis quàm plurimis accidisse videmus, utilissima præceptione, *Nosce te ipsum*, propriam in fraudem abutamur, velut nos-ipsos nôsse moniti; ne dignitatem quique suam & excellentiam nesciremus, cujus inanis præsumptio atque fiducia ad rectam & sapiendi & agendi metam pertingere

tingere volenti nimiò plus nocet. Nullus equidem nego inditam esse naturæ nostræ aliquam nobilitatem, quæ ad justitiæ honestatisque studium mentes nos expergefacere deberet: attamen Philosophos eam tacuisse, quàm tot elogiis ambitiosè conquisitis extulisse, in re Ethica longè præstiterat. Quid enim hîc benigna Oratio aliud, quàm sponte prurientem in hominis medulla superbiam suis illecebris titillet, suis blandimentis foveat, hominem in seipso acquiescere doceat, & præclusis tandem vitiorum emendationi viis, miserum pessimè perdat? Placet illud Chrysostomi; *Fundamentum nostræ Philosophiæ est humilitas*: non illa quidem, ubi homo aliquantæ virtutis sibi conscius à superbia fastuque temperat, sed ubi talem se verè sentit, qui nullum habeat, nisi in humilitate, refugium. Ad hanc rectè demùm componemus animum, si subinde intra nos ipsos descenderimus, defectus & vitia, quibus ab utero matris usque illaqueati tenemur, ad serium examen deposcentes.

Hom. de Perf. Evang.

7. Humilitatis altera pars est *sui Despectio*, quâ multimodæ impotentiæ, imbecillitatisque meæ conscius, quinimò & inopiæ, ignominiæ & turpitudinis sensu confusus haud aliter, atque rei veritate & ista mea tenuitate dignum est, de me sentio: Atque ita 1. Meipsum Deo, cujus, ut suô vidi locô, totus sum à condito (totus, huc veniendo; totus, hîc agendo; totus, hinc abeundo,) relinquam, dedam, transcribam, nullam meî rationem ducturus, nisi quoad obediendi officium permiserit, certè rationem meî saltem posthabiturus: & cùm nihil juris ullam in rem, nedum in me ipsum habeam, ut quæ suprà cap. II. III. intelligendi & volendi facultatem inspicienti succurrebant, abundè comprobant, etiam juris istius nihil mihi arrogabo, non quod affectui lubet, sed quod Deus jubet, curaturus; nec de commodo, sed officio meo laboraturus; meque adeò, meaque omnia arbitrio ipsius

ipsius resignans vitam non meô consiliô componam, sed omne studium jussis ejus fideliter impendam.

8. 1. Cùm me meaque omnia in lucem producens, & ad amussim verbi atque judicii divini inspiciens, nihil planè mihi ad vitam rectè instituendam, & animum solida pace tranquillandum, relinqui videam, inopiæ & turpitudinis meæ sensu confusus, omnique fiducia sapientiæ, probitatis, justitiæ & meriti prorsus abdicatus, meipsum abnegabo, evacuabo, exuam, abjiciam, alius, atque hactenus mihi videbar, futurus, à me ipso demigraturus, & quasi in nihilum rediturus; ut insipientem erudiat, nudum vestiat, inopem ditet, sordibus peccati squalentem perpurget, amissum inveniat ille, qui nobis *factus est sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Atque hæc etiam est illa nostri abnegatio, quam discipulis suis à primo tyrocinio mandat Servator. Quæ ubi semel in animo obtinuit, neque superbiæ, neque fastui, neque ostentationi, neque aliis, quæ ex Philautia generantur, malis locum ullum relinquit.

1. Cor. 1. 30.

Matt. 16. 24.

CAP.

CAP. III.

De Peccato, Vitio & Hostibus Virtutis.

§ 1.

Actio pugnans cum æterna & immutabili Veritate, quæ Deum hominis Finem, Bonum, Exemplar, Dominum, Authorem & Fautorem Ordinis &c. esse testatur, peccatum est.

Expl.

1. Frustra fuero, si omnem peccati turpitudinem brevi definitione complecti, & omninò verbis consequi velim. Hinc minimùm tredecim diversa occurrunt in S. Literis indigitamenta, quæ multiplicem peccati turpitudinem portendunt ea significatûs sui ἐμφάσει, quam ut assequaris, novo verborum ambitu utendum est. Quando S.
1. Joh. Johannes dicit; *omnis, qui facit peccatum, etiam de-*
3. 4. *fectionem patrat: & peccatum est defectio:* non id agere videtur, ut perfecta definitione peccatum circumscribat, & quicquid in ipso mali est, una voce determinet: verùm ut ostendat, unam peccati fœditatem non esse sine alia, atque adeò peccatum quodvis etiam abnegati dominii & legis reum constituere. Unde consequitur; *omne peccatum omnem turpitudinem & fœditatem includere*, siquidem id ex se & in se æstimes.

2. Usitatissimum peccati nomen, quo in Hebræo & Græco sermone S. Scripturæ insignitur, *aberrationem à fine* significat. Cùm enim creatura intelligens ea conditione sit facta, ut sit ad Deum, atque

adeò divina bonitas in ea demonstretur, cùm unione similitudinis, tùm communione beatitudinis, in peccato aperta Veritatis illius abnegatio est, peccatore suum exemplar abnegante, aliam sibi finem constituente, aliudque bonum quærente. Unde peccato qui operam dat, *mendacium facere*, & Diabolus generi nostro peccandi author *in Veritate non stetisse* dicitur. Videsis etiam suprà Part. II. c. 1. §. 1. n. 7. *Apoc.* 21. 27. *Joh.* 8. 44.

3. Quare non nisi Libertinis & Atheis probari potest, quod inter scita Theodori Athei refert Diog. Laertius; *furto quoque & adulterio & sacrilegio, cùm tempestivum erit, daturum operam Sapientem. Nihil quippe horum turpe naturâ esse, si auferatur de hisce vulgaris opinio, quæ stultorum, imperitorumque consensu constat.* Et illud ejusdem de Archelao & Aristippo. *Justum & turpe non naturâ constare, sed consuetudine ac lege.* *In Aristip.*

§. 2.

Inclinatio ad agendum, non ex studio Veritatis, sed ex amore sui unico, Vitium est Virtuti oppositum.

EXPL.

1. Amor suî ipsius simpliciter spectatus vitio dandus non est, suâ quemque naturâ sibimet ipsi conciliante, & nemine suam ipsius carnem odio habente. At amor suî unicus est amor mendacii, quô quis à vero fine & Bono aversus seipsum sibi finem constituit, in quo Veritatis abnegatio & contemptus, atque omnis ordinis eversio est.

2. Hinc igitur non ipsa passio, sed inclinatio & propensio ad agendum vel omittendum propter passionem, vitiosa est. Amare, cupere &c. jucunda, per se vitiô caret: at propendere ad consectandum jucunda propter amorem jucundorum, quô blandè afficiaris & delecteris, turpe est, quippe cùm te ipsum

ipsum studii illius finem habeas. Unde tametsi alii ad vindictam, alii ad cupidinem, alii ad metum &c. proni dicantur, corporis mixturâ, ætate, conditione, vitæque institutis passiones multum variantibus: non tamen alia & alia, sed similis in omnibus proclivitas est ad obtemperandum passionibus, vel agendum propter passiones. Errant proinde, in Naturæ Parentem injurii, qui ad ulciscendum injurias, irâ; ad stuprum, cupidine; ad fugam, metu &c. se stimulari dicunt. Quod enim ad agendum concitantur, non illarum passionum, sed amoris sui ipsorum unici, & indulgentis, effæminatique animi, culpâ fit.

§. 5.

Hostes Virtutis Capitales sunt Caro, Mundus & Diabolus, in oppugnationem Virtutis pari studio, diversa fraude, conspirantes.

Caro stimulat ad sectandum jucunda ideo solùm, quia voluptatem afferunt seipsum amanti.

Mundus suî amantem infatuat opinione & existimatione aliorum de actionibus ejus.

Diabolus homini carnis & mundi illecebris capto, & à Veritatis tramite seducto præcipuè pertinaciam & studium perseverandi in cœptis suadet & urget.

Expl.

1. E Carne est proclivitas ad jucunda, quæ voluptati esse possunt, citra respectum ad alios, i. e. non attento, quæ sit aliorum de nobis opinio, vel existimatio. In jucundis autem numeramus non solùm quæ *corporalem*, quam vocant, & *animalem* voluptatem afferunt, ut sunt, bona valetudo, robur, forma, vigor sensuum, agilitas membrorum: pastus, Venus, grati odores, concentus, spectacula: sed etiam quæ ad *humanam Voluptatem* spe-

speciali nomine sic dictam, pertinent, & avaritiæ, ambitionisque irritamenta & fomenta sunt; ut dignitas & potentia, honoribus, opibus, gratiâ, amicorum numero & populi favore spectabiles. Hinc Apostolus carnis operibus accenset non modò quæ cum charitate, concordia, castitate, temperantia & justitia confligunt, verùm etiam quæ Religionem & Cultum Dei oppugnant, velut hæreses, quarum mater ut plurimùm est ambitio. Imò ne quidem illa excludimus, quæ non tàm suapte vi, quàm consuetudine, stultaque hominum persuasione, oblectationem habent. Quæ enim facere consuevimus, etsi molesta veriùs quàm jucunda sint, tandem tamen facere juvat. Sic multis Indias, quas vicibus aliquammultis adivere, per tot discrimina rerum repetendi voluptas non periit. Hisce nunc jucundis qui solùm voluptatis causâ inhiant, ut affectui obsequantur suo, *Carnales* sunt, sui amore cæcati, à Veritatis amore alienissimi. Galat. 5. 20.

2. Unde & illud consequitur; eos, qui rudi Adolescentiæ, quam literis formandam suscepere, nihil nisi Musarum delicias prædicant, Veritatis & Honestatis amorem neglectui habentes, non procul à lenonibus abesse. Adolescentes quidem ad studia literarum nisi pellice aliqua voluptate induci vix possunt: incautè tamen faciunt Magistri, quando segnitiem istam expulsuri blanditiis Poëtarum fabularumque illecebris eosdem arctiùs illaqueant.

3. *Mundi* certè idem quod *Carnis* est studium, quando in eo est totus, ut concupiscentiæ carnis escam & fomenta quærat. Unde & *concupiscentia carnis, cupiditas oculorum & fastus vitæ ex Mundo esse* dicuntur. Speciatim tamen Mundus sui amantem sollicitat spe gloriæ apud alios obtinendæ. Hinc adeò fit, ut qui Mundi studio tenentur, sæpè sint benefici & munifici, libenter aliis gratificantes, aliorum affectui obsecundantes, de civibus suis & 1. Joh. 2. 16.

Rep. benè merentes &c. neque tamen omni illo studio aliud, quàm seipsos quærant; puta, gloriam suam, existimationem, statum decorum, pompam, & consimilia imaginationis ludibria & umbras.

4. Hactenus igitur eò differre videntur Carnis & Mundi studia, quòd Caro se tantùm respiciat, sua voluptate contenta: Mundus verò oculos aliorsum rapiat & circumferre jubeat. Unde Carni pronus est in Mundum descensus. Sæpè enim videas vitæ genus & institutum amplexos, solùm quòd placeret, & volupe satisque animo faceret, postea, omni oblectamenti sui condimentô per usum diuturniorem decoctô; eidem vitæ instituto pertinaciter inhærere; scilicet, ne malè elegisse, neve varii & parum constantes videantur aliis.

5. A Mundo autem ad Carnem non perinde facilis est reditus, hominibus Mundi studiô detentis rarò ex sola delectatione & animi gratiâ in eo, quod admirationis & existimationis causâ agere cœperant, perseverantibus. Unde cùm Diogenes olim nudum se in luto ac nivibus volutaret; eôque spectaculô multos ad se converteret, totosque raperet: nonnullis miseratione permotis hominem inhibere properantibus, Plato spectatores discedere jussit, brevi futurum pollicitus, ut spectatoribus dilapsis Diogenes sponte desistat. Hôc Mundi contagiô etiam præstantissima Heroum facta sæpè vitiari
Offic.l.1. videmus. *Vix invenitur*, inquit Cic. *qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.* Imò cùm vix quisquam laudis cupidine magis arderet, quàm Cicero, teste Plutarcho, vanitatis studium defensurus non dubitavit affirmare, *Optimum quemque maximè gloriâ duci.* Quasi, quod Vulgi dicterium est, Virtuti proficere & ad ardua conniti non detur, nisi comitante & stimulante Vanitate. Sed falluntur, quotquot alio,

alio, quàm Veritatis amore ducuntur: *receperunt* Matth. 6. *enim*, ut Veritas ait, *mercedem suam*. 2. &c.

6. Quos carnis oblectatio & Mundi gloria in servitute ampliùs retinere non possunt, deficientibus illecebris & lenociniis, Diabolus manumissos nollet, quâ cœperunt pergere jubens. Pergunt igitur solùm quia inceperunt: *Perseveramus*, inquit Seneca, *in vanis, ne videamur cœpisse sine causa*: nisi fortè infamia, tædium, paupertas, morbi, aliave damnorum agmina miseros insecuta duræ servitutis vincula rumpant. Exempli causâ; Adolescens in turbam sodalium incidit, consortii & vini suavitate illectus compotare incipit: hîc carnem intelligis. Hac delectatione per satietatem ablata nihilominus potare pergit, quia priorem aliis à turba discedere, indecens; contrà *nocturnò certare merò, putere diurnò*, & vincere velle, gloriosum habetur: hîc Mundum audis. Tandem verò & hoc retinaculô abruptô, insequente non jam solùm fastidio, sed etiam infamia ex vinolentia & crapulæ sordibus, quibus & hospiti stomachum, & adstantibus risum movet, nihilosecius perpotare pergit: usque adeò desistere incepto difficile est. Hâc pertinaciâ, velut operis sui charactere, agnoscitur Diabolus, præcipuè senes infestans, quippe qui ipsa ætate in pravum indurescunt. Scilicet suo more facit, suoque indicio se prodit Spiritus malignus. Superbiâ primùm præcipuè peccâsse Diabolum, arguunt ejusdem studii vestigia. Honores divinos etiamnum affectat erectô saltem pristini statûs idolô: & in criminis societatem usque & usque homines incitat. *Homicida erat* Joh. 8. *ab initio*: primo hoc opere, homicidiô, cognitus 44. est, & in eo perseverat, quia incepit. *In veritate non stetit*: hæc secta studii ejus est deinceps, ut, *quando loquitur mendacium, ex suis loquatur, quippe mendax, & pater mendacii.*

7. Hinc patescit, hostium virtutis teterrimum, infestissimum & maximè horribilem esse Diabolum. Caro & Mundus hominem blanda fucatæ voluptatis compede detinent: Diabolus sibi mancipatos non aliô remuneratur præmiô, quàm mœrore, tædiô & desperatione. Pergere quidem illis volupe est, quia incepere: sed, si tamen hæc dicenda est voluptas, tetra planè & execrabilis est. Deinde quos Caro & Mundus Diabolo emancupant, tristi sub authoramento, missionem nunquam habent, quoniam hôc quasi symbolô; *perge, quia cœpisti*, authoratis ratio perseverandi nunquam deest. Denique Diabolus hôc infestior est hostis, quòd non aperto Marte, ut Caro & Mundus, sed astu hominem aggreditur, Virtutis fautor & promotor videri volens, ingeminato quasi carmine Imperatoris timido animum addentis;

I bone, quò virtus tua te vocat; I pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia, quid stas?

Et illud

Quò benè cœpisti, fac pede semper eas.

Hinc adeò ignaros modi atque finis à defectu ducit ad excessum, ut, dum stulti vitant vitia, in contraria currant. Exempli gratia, *avarum cùm vetat fieri, vappam jubet ac nebulonem.* Nusquam consistendi locum dans, semper pergendum suadet, & captum urget.

CAP. IV.

De Virtutis ab Officio Distinctione, Unitate, Æquabilitate & Simplicitate.

§. I.

Virtus ab Officiis cautè distinguenda est.

Expl.

1. Officium dicimus, quod unumquemque in re qualibet *efficere* convenit, pro conditione personæ, loco, tempore &c. Est verò Virtutis officium aliud *Internum*, quod animô absolvitur, velut, inquirere Veritatem, obedire Veritati &c. imò vel ipsa Virtus inter Virtutis officia est. Aliud *Externum*, quod extra animum in corpus, aliasque res sese diffundit, Virtute legem affectibus & actionibus imponente, ut quantum ex parte nostra valemus, etiam in externis velimus.

2. Atque hujus posterioris generis officia à Virtute distingui oportere, hinc satis innotescit; quia quod facere officii est, non semper ex Virtute fit, cùm sæpè officia Virtute vacua & informia sint. Ex Virtute non agit, qui vel indole sola & naturæ propensione, vel consuetudine, facit, quod officii ducit: velut qui offensæ veniam dat, vindictâ abstinens, quia naturâ mollis, timidus, stupidus, aut perditè vivendo famæ prodigus est, vel stultâ suî fiduciâ semet omni contemptu superiorem putat. Liberalis non est, qui ut auram popularem captet, avaritiam occultet &c. largè donat. Fortis non est,

qui vel ad mala obduruit, vel ambitione, aut sanguinis æstuantis impetu ad pericula trahitur. Enimverò non aliam quàm Veritatis & ordinis legem sibi sequendam sancire, Virtutis est. *Omnis res*, omne officium, *quod non habuit decus Virtute addita sumit.* Officium præstitum, *è puro corde*, *conscientia bona*, *fide non fucata*, quæ in amore Veritatis unico insunt, boni demùm operis laudem consequitur. Unde conficitur, officium à Virtute non tantùm distingui, sed etiam divelli & separari posse. Quemadmodum vicissim & Virtus sine officio est, deficiente nimirum materia vel instrumento: quo casu tamen Vir bonus virtute non magis carere dicetur, quàm arte sua artifex, cui exercendæ artis materia & instrumenta desunt.

Seneca Epist. 82.

§. 5.

Virtus secundùm se considerata Una est: in varia tendens Officia, quæ informat, Virtutum particularium nomina sortitur.

Expl.

1. Virtus cùm sit amor Veritatis unicus &c. in diversa semper propendet officia, facere parata, quod cuique debet, quoties occasio fert, & materia officii exequendi suppetit. Ipsa tamen secundùm se considerata *Una* est, in quodcunque demùm exeat officium, ut patet virtutem inter ac officia rectè distinguenti. Seclusis enim cogitatione omnibus à virtute officiis, unum quid & simplex superest, quod in alia resolvi nequit, nempe Amor Veritatis unicus, sive studium faciendi, quod ipsa jubet. Hoc studium etsi in diversissima tendat, nunc ad dandum, nunc ad retinendum: ad loquendum modò, tùm ad tacendum &c. inclinans; idem tamen

tamen atque unum quid in omnibus istis respicit, pura executionem ejus, quod Veritatis amori unico convenit. Quemadmodum castigare & consolari filium officia Patris sunt diversissima; utrumque tamen è re nata facit, eodem amore ductus.

2. Nihilominus plures dicere solemus Virtutes, considerata varietate cùm officiorum, quæ una Virtus informat, tùm circumstantiarum, in quibus ipsa exercetur: inde adeò etiam Virtutum particularium nomina sortitur. Sic Virtus, ubi refertur ad officia Deo debita, *Pietas*: ubi ad officia, quæ suo quemque proximo devinciunt, *Liberalitas*, *Comitas*, *Æquitas* &c. dicetur. Omnes tamen illæ Virtutes particulares in Amore Veritatis unico, tanquam Virtute una, Principali, Universali & Matre, conveniunt, unde etiam proficiscuntur; alioquin nomen, quô gaudent, non meritura.

3. His, ut oportet, attentè consideratis, non obscurum erit, quod aliàs esse solet, Interpretibus, quare Apostolus Petrus Virtutem Unam agnoscere, & à Continentia, Patientia, Pietate &c. distinguere videatur, *suppeditandam* injungens *in fide virtutem*, 2. Pet. 1.
in virtute cognitionem, in cognitione continentiam, in conti- 5. 6. 7.
nentia autem patientiam, in patientia pietatem &c. Plures interim Virtutes ponente Apost. Paulo, quando in hunc modum hortatur Philippenses; *Quod reliquum est*, Phil. 4.
Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque gravia, quæcun- 8.
que justa &c. si quæ virtus, & si quæ laus, hæc animo versate. Nec mirabor, Scripturam S. frequentissimè *Bona Opera*, rariùs *Virtutem* dicere, quando vitæ sanctitatem atque probitatem inculcat. Unam enim Virtutem, τ. ὁσιότητα ἀληθείας *sanctitatem Veritatis studium*, seu *legem menti inditam*, agnoscit, eamque ad officia Virtute informanda refert, unde & eadem ex Virtute præstita *bonorum Operum* laude ornat.

§. 3.

Hinc facile est decidere cum Stoicis super Paradoxo;
Virtutes individuas, itemque pares esse.
Virtus quia Una, etiam in officiis, è quibus particularium virtutum nomina accipit, individua est.

EXPL.

Stob. Eclog. Laert. l. 2. Zenon. Tusc. 2.

1. HOc Stoicorum est, Ἀρετὰς εἶναι πλείους, καὶ ἀχωρίστους ἀπ' ἀλλήλων, *Virtutes plures esse, atque eas inseparabiles.* Unde consequitur, *unam qui habet, omnes habere.* Et Cicero, *Si unam,* inquit, *virtutem confessus sis te non habere, nullam necesse sit te habiturum.* Idem è Christianis sensere

1. Offic. c. 27. l. 22. Moral.

nonnulli, ut Ambrosius, *Virtutes individuas esse, sed opinione Vulgi sejunctas.* Itemque Gregorius; *Una Virtus sine aliis aut omninò nulla est, aut imperfecta est.* Hæc Stoicorum sententia quia non tantùm communem hominum opinionem, sed & experientiam impugnare videbatur, virtutem veram à fictitia, perfectam ab imperfecta distingui placuit: ita quidem, ut fictitias & imperfectas semet comitari negent. Neque tamen ea distinctione efficiunt, quominùs insolentia dogmatis offendat. Quid enim vulgo absurdius, quàm eum, qui comis est & facetus, castum etiam necessariò, & pium & religiosum haberi? nec posse eum, qui gravis sit atque severus, avarum & sordidum esse?

2. Virtutes particulares sensu, quo suprà, intellectas solitarias esse negamus. Vulgo officit præjudicium, ex quo distinguenda confundit. Plurimum enim Virtutem inter & officium interesse è superioribus liquet: unde non modò alterum ab altero distingui, sed utrumque ab altero divelli posse, ostendimus. Inde ergo urbanus credi potest, qui castus

non sit, quia sæpè urbanitatis officium facit, qui castimoniæ officium deserit. Atqui cùm Virtus una sit in omnibus officiis quæ pariter informat, urbanitatem à castitate, ut virtutem à virtute divelli negamus. Qui enim in casu dato urbanitatis officium exequitur, castitatis non item, is sicuti castus non est, ita nec urbanus: quia urbanitatis officium informe & virtute vacuum est. Aut quare demùm urbanitatis partes explet? Anne quia Veritatis amor unicus suadet? Cur igitur castitas, quam æquè suadet, neglectui est? Scilicet quod urbanitatis esse videtur facit, quia sic facere placet, vel ad faciendum libidine sua fertur.

§. 4.

Virtus cùm una sit, etiam æquabilis suique semper similis est in diversis, quæ informat, officiis.

EXPL.

1. IN Stoæ paradoxis est, *Virtutes inter se pares esse*: quod etiam ad Virtutum Cultores, & rectè facta extendunt. Unde Seneca, *Virtutes*, inquit, *inter se pares sunt, & opera virtutum & omnes homines, quibus illæ contigere*. Et Chrysippo par virtus visa, *patriam fortiter servâsse, & muscæ morsum viriliter sustinuisse*. Hanc sententiam meritò explodunt, qui Virtutes specie distinctas etiam excellentiâ disparant.

Epist. 66. *De comm. Not. apud Plut.*

2. Nobis minùs probanda videtur eo maximè nomine, quòd Virtutem & officia confundit. Utut enim Virtus sui similis hactenus & æquabilis sit ubique; majus tamen haud dubiè officium est servare parentem, quàm servum: Remp. à servitute vindicare, quàm civem &c. Unde patre & servo in pari discrimine versantibus, utrumque si servare non possis, hôc desertô pro illo periclitandum esse quis verò dubitet?

3. Qua-

3. Quapropter etsi officia & opera virtutis alia aliis longè majora, urgentiora & excellentiora sint, virtus tamen ipsa in omnibus illis sui similis, neque ipsa se major minorve est. Secus si foret, minor virtus certo casu, non jam virtus, sed vitium, h. e. lux tenebræ, esset. Servare enim famulum deserto patre, nemini non scelestum videbitur. Patri igitur quum succurris, & servum destituis, non majorem virtutem amplecteris, sed scelus omittis. Contrarium si facias, non minorem exerces virtutem, sed minus officium virtute vacuum & informe amplexus gravissimè delinquis. Adde quòd vulgò constet Philosophis, Fortunæ veram in virtutem nihil esse juris. Atqui si virtus virtute major sit, jam à fortuna pendebit, optimusne sim, an paulò deterior. Mihi enim occasio est famuli servandi; patris non item, quippe cùm de vita non periclitetur. Tibi datur occasio & servandi patrem, & liberandi Remp. quod mihi privato negatur. Tu igitur non virtute, sed casu, fortunâ, occasione, me melior, neque adeò melior, eris; cùm sola virtus bonum, meliorem, & omninò quicquid hîc gradûs est, efficere possit, fortunâ, quam Vulgus intelligit, ad id nihil valente. Numquid verò absurdum videbitur, te aliò meliorem esse nulla tua virtute? Cæterùm erronea opinione, quâ vulgus imbutum sibi persuadet, virtutem è fortuna pendere, tandem eò proficitur, ut virtute è fortunæ bonis æstimata, hôc quique probiores videri incipiant, quò vulgò magis fortunati habentur. Qua persuasione confirmatâ, virtus quid nisi profligata jacebit? Unde Poëta; *Virtus nisi cum re, vilior algâ est.* Et illud ejusdem de avaro;

——— ——— Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, & cavit nihil acrius: ut si
Fortè minùs locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior.

§. 5.

§. 5.

In Virtute porrò ut sui semper simili etiam inest Simplicitas, seu Integritas, quâ Voluntas integrè fertur in id, quod Veritatis amori convenit, & simpliciter optimum deprehenditur.

EXPL.

1. HOc primum* quasi Virtutis condimentum est, absque quo non modò insipida, sed ne quidem virtus est. Hæc illa in S. Codice toties & verbis & exemplis commendata ἀκεραιότης, εἰλικρίνεια, ἁπλότης &c. *Integritas* & *Simplicitas*, duplicitati cordis & perversitati viarum opponenda. Velut in illo Salomonis; *Ambulans integrè salvus erit, & perversus duabus viis cadet in una.* Ex. gr. Cuoris Prov. 28: 18. in civitate turbis ex tyrannide & injustitia, tutius salutis præsidium non fuerit, quàm servare integritatem morumque probitatem. Verissimum est Gallorum verbum; *Il n'y a plus grande finesse, que d'être homme de bien.* Ex adverso qui duplici via utuntur ἀμφοτερίζονται, tempori servientes, moribusque & voluntati eorum, qui in civitate plurimum possunt, sese accommodantes, semper obsequiosi, in hoc, vel illo instituto cadant, necesse est.

2. Significat autem Simplicitas illa & integritas S. Literis laudata soliditatem quandam & partium interiorum & exteriorum conformitatem. Solidum enim sui plenum, ἀκίβδηλον, non fucatum, non corruptum, non aliud, atque esse videtur, sed integrum & sincerum est, sine fuco & fictione. Atque talis est virtus, unico veritatis amore contenta. Neque enim vel lucri famæque illiciō, vel damni & ignominiæ terriculō corrumpi, neque ἑτεροζυγίᾳ commisceri, vel ἀμφιζυγίᾳ dividi patitur, sui ubique

que similis, à seipsa nusquam discrepans, unum finem ac metam secundùm unam regulam constanter sequens.

3. Ei opponitur *Hypocrisis*, Scripturæ S. *Cor duplex*, vel *Cordis & viæ duplicitas*, dicta, quâ quis bona dicere & facere eligit per concupiscentiam, mala verò omittit, non quia odio sint, sed quia mentiri probitatem placeat. Recta igitur facit Hypocrita, & vir bonus videri vult, suî, commodique gratiâ, quô negatô, vel ademptô, alius est multò, quàm solebat. Virtutis ergò umbram quæstui habet, *personasque admiratur utilitatis causâ*.
Jud. v. 16. Unde *hypocritæ* junguntur *tabernacula muneris*.
Job. 15: 34.

4. Hypocritarum porrò non unum genus est. Sunt, qui & esse, & facere videri velint, quod nec sunt nec præstant, *introrsum turpes, speciosi pelle decora*: qui haud dubiè omnium sceleratissimi sunt, quippe hominum, quàm Dei, reverentiores. Sunt qui faciendorum delectum habent, amantes quædam & facientes non sine zelo; omittentes alia pro arbitratu suo: quòd si quædam deposuere mala, nihilominus alia in deliciis habent, & in sinu fovent, ubique sibi dissimiles.

CAP.

CAP. V.

De Pietate.

§. 1.

Officia Virtutis partim in Deum respiciunt; partim in Nos; partim denique in alios Homines.

Quæ in Deum respiciunt Pietatis & Religionis nomen complectitur.

Pietas est de Deo sentire, eundemque colere, quemadmodum Veritatis amori convenit.

Rectè de Deo sentit, qui non tantùm quæ Ratio, sed & quæ Verbum Dei scriptum de ipso dicit, indubitata agnoscit & citra hæsitationem, demissô atque pronô animi obsequiô, amplectitur.

EXPL.

1. Sic Apostolus, quando gratiâ Dei salutari nos erudiri dicit, ut abnegatis impietate & cupiditatibus, quibus seculi homines serviunt, *temperanter* & *justè* & *piè* vivamus: tribus verbis breviter omnes officii nostri partes conclusit ordine, quo ipsa ad Deum conversio & Gratiæ fides sese testatam facit. Cui enim gratia salutaris affulsit, ab iis, in quæ Mundus ceu vera sua bona insanit, aversus justitiam colit, & cùm omnes promiscuè, tùm in primis gratiæ consortes prono charitatis affectu prosequitur. Quæ quidem indubia veræ ad Deum conversionis atque ingenuæ pietatis argumenta sunt. *Tit. 2: 11. 12.*

2. Pietatis ante omnia est, *sentire de Deo, quemadmodum veritatis amori convenit. De Deo*, inquit Aug.

Aug. *optimè existimare, pietatis est exordium. lib. 5. de lib. arb.* Neque non magni refert, vera & recta de Deo sensisse. Cùm enim id ipsum per se pars est pietatis, quæ judicio mentis, conveniente motu & affectu voluntatis, & ut officii fert natura, actione corporis constat; tùm verò prout de Deo senseris, ita animum ad ejus cultum & obsequium religiosum compones.

3. Tenenda autem de Deo non solùm quæ Ratio, sed etiam quæ Scripta divina docent; quandoquidem instruendæ pietatis praxi in Ratione, vel *γνωςῷ τῦ Θεῦ*, neutiquam satis est præsidii. Eò enim pertinet, rectè sentire de Deo, de Attributis, Virtutibus, Operibus atque Personis divinis: in quibus plerisque Ratio vel caligat, vel penitus deficit. Atque in his cumprimis illæ nobis meditandæ sunt Virtutes divinæ, quarum sensus, velut idoneus pietatis Magister, ad officia, quæ inde pendent, facienda nos deducat. Quales sunt Potentia, Sapientia, Bonitas, Sanctitas & Justitia, Gratia item Misericordia & Longanimitas. Quæ alia huc pertinent benè multa de Deo, ejusque Providentia &c. videsis supra lib. 1. cap. 3. & 4. Ubi de notionibus insitis, & imperio voluntatis nostræ.

I. *Potentia Dei.* I. De Potentia Dei non satis est tenuisse, eâ Deum immensâ pollere, Mundumque ut semel condidit, identidem sustinere: verùm etiam eâdem solâ nos *esse*, *vivere* & *moveri* in singula momenta: per eam solam nos cogitare, velle, sentire, atque omninò agere: absque ea sit, nihil etiam sensui nostro gratum molestumve accidere, nobisque adeò vel prodesse, vel nocere posse; usque eò, ut nulla res creata quamlibet sive commendabilis, sive formidabilis videri soleat, ea siquidem benè aut malè nobis facere queat: id quod capitibus mox citatis dicta abundè comprobant.

Unde consequitur, 1. Non nisi Deo, ceu Au-

thori

thori unico & causæ felicitatis & prosperitatis cujuscunque nostræ, amore unionis esse adhærendum: neque nisi in Deo, ut perenni bonorum fonte deliciandum. Secùs qui facit, alium felicitatis suæ authorem recognoscit. Quod judicium, cùm sit falsissimum, inordinatos consequi motus concupiscentiæ, necesse est. 2. Solam Dei Potentiam formidandam, nec ignavo questu & mœrore prosequenda adversa, quæ miseros, sed lugenda esse peccata, quæ malos reddunt, Deique in nos Potentiam armant. 3. Cùm & voluntas & actio hominis nisi per Dei Potentiam ad nihil valeant, Lege divina omnes hominis motus & actiones contineri oportere. Turpissimum igitur esse Potentiæ divinæ abusum & inexcusabilem profanationem, eam ubi voluntate ejus susque deque habita, concupiscentiæ tuæ ac peccato servire velis. Etenim, quod observatu dignissimum, nihil eâ Potentiâ divinius est, nihil Sanctius; quod ejus est sibi arrogare, eamque voluptatis, intemperantiæ & libidinis suæ obsequio addictam velle, scelus est, cujus enormitatem, quanti quidem est, solus Deus cognoscit & punit.

II. DE SAPIENTIA Dei non satis est ita sensisse, ut eam in Deo infinitam residere, & universam Mundi majoris & minoris fabricam quoddam quasi theatrum mirificæ sapientiæ spectaculis instructum, agnoscas: tenendum porrò, nihil usquam sapientiæ ac lucis, nihil sinceræ veritatis reperiri, quod non ab isto fonte fluat, & cujus ille, qui *Sapientia Dei* est & *Lux illa vera illuminans omnem hominem*, non sit causa. Hominem sanè suam sibi lucem non esse, neque ex se sibi vel aliis vera & recta sapere, vel eô evidenter arguitur, quòd id ipsum, quô sapit, omnibus creaturis intelligentibus commune, universale, indemutabile, necessarium & æternum est. Non minor est stupor, sapere sine Deo,

II. *Sapientia Dei.*

Joh. 1: 9.

Deo, quàm posse quid sine Deo, opinari. Videsis quæ in hanc rem dicta lib. 1. c. 3. §. 8. n. 2. Cur tamen sic vulgò opinemur, in causa est, quòd laboris nimiò plus molesti, quem veritati indagandæ impendi necesse est, probè consciis, eundem interim laborem *ἀδυναμίας*, infirmitatis & dependentiæ nostræ multimodæ argumentum esse non animadvertentibus, operatio Dei, qua menti lucem affundit, nullum sui sensum ingerit. Inde adeò fit, ut temerè & insolenter industriæ & labori nostro transcribamus, quod divini beneficii est.

Unde conficitur. 1. Verum illum Doctorem, qui lucem sapientiæ & veritatis animo nostro invergit, non esse inter creaturas, cum quibus homini commercium esse potest. *Sapientia unde invenitur?* *Non novit homo, quanti ea sit, & non invenitur in terra viventium. Abyssus ait, non est in me illa: & mare ait; non est apud me.* Unum igitur nobis agnoscendum esse *Magistrum*, *Christum*, Dei Sapientiam, qui & intus per lumen intelligentiæ, & extrinsecus in Scripturis S. per lumen fidei, revelante Spiritu, respondeat consulentibus. 2. Hunc igitur utrobique frequenter nobis adeundum & audiendum in rebus, quæ ad veritatis cognoscendæ & virtutis colendæ profectum spectant. Neque acquiescendum iis, quæ vel sensus & affectus suggerunt, vel quamlibet plausibilis consuetudo & hominum authoritas suadere videntur, donec consulto uno illo Doctore Veritas sive Rationis evidentiâ, sive infallibilis fidei testimoniô sese conscientiæ probaverit. 3. Cavendum, ne si quid scientiæ usu vel industriâ comparâsse videris, eô fretus intumescas, & quod divinæ largitatis est, atque ea propter studio amplificandæ gloriæ Dei impendendum, tuis meritis arroges: nedum, qui aliis ad capessenda sapientiæ præcepta ducem te & adjutorem præstare debes, Magister esse, & quod de re qualiber pronunciaveris, o-

Job. 28. 12. 13. 14.

raculi

raculi vice haberi velis. 4. Maximi faciendam esse veritatem, cœlestis sapientiæ prolem, summô studiô ambiendam, ardente amore amplectendam, exosculandam. *Pretiosior est unionibus, & omnia oblectamenta tua non æquiparant eam. Non cum auro asservato commutabitur, neque appendetur argentum pretii ejus. Non est auro Ophirino contrà cara, vel Schami pretioso & sapphiro &c.* Prov. 3: 15. Job. 28: 15. &c.

III. De Bonitate Dei tenendum 1. Inexhaustam ejus opulentiam residere in Deo. 2. Eam, ut decet divitem, potentem, nullaque re indigentem, sed juxtà Sapientissimum, liberè & largiter communicare cum rebus omnibus, quas præter se esse jubet ad gloriam suam. Mundum proinde majorem & minorem omni bonorum copiâ locupletatum quid nisi monumentum divinæ Bonitatis laudi dicatum esse? 3. Ex eadem Bonitate profluere quicquid utilitatis & suavitatis sensu vel affectu percipitur è rebus sensui & usui humano subjectis. Quapropter *gustanda* & *videnda* offertur *Bonitas* Dei ab Hieropsalte: quia etiam id ipsum, quod gustu quid suave & visu jucundum sentitur, non rei sensibilis qualitas, sed Bonitatis divinæ effectus est. Confer quæ suprà lib. 1. c. 2. §. 3. n. 18. 4. Bonis igitur creatis hactenus sic utendum, ut solo Deo, uno illo, vero & summo Bono frui velis. III. *Bonitas Dei.* *Psalm.* 34. 9.

Unde concludas; 1. Iterum non nisi Deo, ter Optimo, amore unionis, quô ipse bonus sis atque beatus, esse adhærescendum. Omnem proinde amorem, quo animus à vero suo bono aversus effertur in bona caduca, divitias, honores &c. quibus pro seculi more beatus haberi, magni fieri & admirationi esse cupias, inordinatum & abominabilem esse. 2. Cùm innumeris à Deo cumulati bonis nihil habeamus nostri, unde vicem rependamus, eam fore nostram gratitudinem, si beneficia Dei non obiter transmittamus, sed ex vero sic æstimemus,

ut animus vivido illorum sensu tactus & lætitiâ perfusus Bonitatis Dei veluti formam impressam habeat: Bonis porrò, Deo Providente, paratis & obviis ad gloriam Dei largitoris utamur. 3. Quia ne quidem Mundus in tanta bonorum copia, ex se inops, habet, quod necessitati nostræ ministret, suppliciter à Deo petenda, quæ nobis desunt, vitæ & salutis adjumenta. Preces autem nostras & vota, ut Deo sint grata, ad sanctam ejus voluntatem, sive amorem, quo in se suamque gloriam fertur, conformari oportere.

IV. *Sanctitas & Justitia Dei.* IV. De Sanctitate Dei sic sentiendum. 1. Eam voluntatis divinæ primam esse virtutem, in eo sitam, quòd verba & facta congruunt voluntati quod verum est amanti.

2. Deum, quia *est mentiri nescius*, & seipsum abnegare, aut virtutes suas dissimulare, aliumve, atque est, se præbere non potest, quippe Exemplar & Ἀρχίτυπος creaturæ intelligentis, quam ipse amat veritatem, etiam à nobis amari, quod odit mendacium, & nobis odio esse velle. *Secundùm eum, qui vos vocavit, sanctum, etiam ipsi sancti in omni conversatione estote. Quia scriptum est: Sancti estote; quia ego sanctus sum.* 3. Inde & necessariò Creaturæ suæ intelligentis esse *Judicem*, qui *judicans secundùm veritatem*, gloriam, jus atque nomen suum peccatô violatum & abnegatum asserit, seque veritatis amantem, peccati osorem, *peccatorique dissimilem* ostendit. Unde consequitur 1. In Deo etiam esse justitiam, quæ peccatum adversus summam ipsius Majestatem commissum non patiatur inultum: neque non interesse gloriæ Dei, ut pœna meritô digna repetatur ab eo, qui quantum in se est, Deum suum *Dominum*, *Exemplar*, *Finem*, *Bonum* & *Benefactorem* &c. abnegat. Quando enim qui delinquit, Deum summum suum finem atque bonum esse negat, anne iniquum videbitur, eam veritatem homi-

(Margin: 1. Pet. 1: 15. 16. — Rom. 2: 2. 5. — Esai. 42: 5. — Psalm. 50: 21.)

homini testatam fieri sensu summi mali? Quando peccator abnegat Dominum potentissimum, nonne convenit, eam abnegationem vindicari judiciô potentiæ, adeoque pœnâ tali, quâ se potentissimum offendisse sentiat? II. Legem Dei, ut sanctam, quippe expressam purissimæ naturæ Dei imaginem & æternæ veritati congruentem, sic esse justissimam, quippe quæ debitum exigit, verô & justô judiciô per præmii promissionem & pœnæ comminationem sancita. *Qui fecerit ea, vivet in eis. Maledictus qui non permanserit in omnibus.* III. Deum, Sanctissimum, Justissimumque Judicem atque Vindicem, cùm idem sit potentissimus & omniscius, necessariò arbitrum & inspectorem esse operum, consiliorum, mentium. *Omnia sunt nuda & resupinata oculis ipsius.* Quapropter, monitore Seneca, *sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit; & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* Idem verissimum sentit Captivus ille apud Comicum; *Est profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.*

Levit. 18: 5. Deut. 27: 26. Heb. 4: 13. Epist. 83. Plaut. Capt. 2. 2. 63.

Hic qui gubernat omnia:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus æquo.

Horat. III. Odar. 4.

Nec enim secura quies illum similisque sopori,
Detinet.

Ovid. 1: de Arte.

Sed ille est, *qui viget, qui sentit, qui meminit, qui regit & moderatur.*

Cic. in somn.

V. *Gratia, Misericordia & Longanimitas Dei.* V. Sed ne nulla Spe veniæ peccatori proposita Religionis studium intercidat, id porrò nobis persuasum oportet.

1. Esse & hanc perfectionem Dei, quòd decenter largiri potest, atque vult, ubi nullum est meritum. Quam S. Literæ *Gratiam* appellant, eaque propter Deum *Gratiosum* prædicant.

2. Inde & *misereri* posse atque velle peccatoris, eumque condonata pravitate ad communionem suî beatam reducere, quam primùm turpitudinis suæ sensû verè dejectus ad hanc *Misericordiæ* aram, quô par est resipiendi animô confugit. Hanc sufficientiam habere, Deo naturale, sed exercere, liberum est, haud minùs, quàm *vocare, quæ non sunt:* quandoquidem habet Filium, quem potest *mittere in similitudine carnis peccati, & pro peccato, & sic in carne condemnare peccatum.* 3. Justitiam Dei, quamlibet ex se formidabilem, locum nihilominùs relinquere *Longanimitati*, quâ Deus potest decenter tolerare peccatorem, eique insuper benefacere. Neque enim Deus, quia per justitiam & sanctæ legis postulatum peccatori impunitatem dare non potest, necesse habet punire peccatum, quantum potest, & statim atque potest, & in ipso peccatore: dummodò *Jehova*, Deus *Exercituum exaltetur in judicio, & Deus ille Sanctus sanctificetur per justitiam.* Quod utique *semel ad condemnationem peccati* factum, si per verbum gratiæ semper notificetur, satis est.

Exod. 33: 19. Rom. 9: 15: 16. Rom. 8: 3.

Esai. 5: 16.

VI. *SS. Trinitatis Mysterium.* VI. Quia præterea cultori Numinis, ne quod nesciat adoret, exploratum oportet, Quis sit ille verus, potentissimus, sapientissimus &c. Deus, etiam certa fide tenenda sunt, quæ de augusto SS. Trinitatis mysterio Sacris Literis prodita leguntur. Non ignorat equidem *Quis sit*, cui perspectum est, *Quid sit* Deus: quandoquidem Summus ille, Potentissimus, Sapientissimus, Optimus &c. nisi *unus & unicus* esse

esse non potest. Quæstiones igitur *Quid sit*, & *Quis sit*, distinguere hôc locô supervacuum foret, nisi vulgò hominibus esset persuasum, Deum cum populo cultore sui familiariter agere, eique peculiari ratione favere. Hinc diversis populis pro veritate Numinis, quod quisque colit, cultique favorem præ aliis sibi vendicat, contendentibus, veritatis studioso inquirendum est, Quis sit verus Deus; quibus operibus innotescere; quo ritu coli amet; quibus legibus cultores suos sanctificari; quô verbô instrui; quô bonô beari velit, & quis populus, qui istis *ἀντιλήψεσι* jure optimo gloriari queat. Quod primô Decalogi præceptô cautum de non habendis Diis aliis, verô Deô suis veluti characteribus è nomine & opere descriptô, duo illa; Quid nimirum, & *Quis* sit Deus distingui postulat. Scriptura S. in posterioris quæstionis decisione amplius occupata, ubi de natura Dei nos docet, ut plurimùm etiam quis sit verus ille Deus, verbis designat.

Ut igitur paucis complectamur omnia, sciendum porrò est; 1. Illum verum esse Deum, qui *cælum & terram in principio creavit*; qui se *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi* dixit, & reipsa demonstravit; qui populo Israelitico ex servitute Ægyptiaca asserto legem dedit in Sinai; qui verbô & operibus quâ gratiæ, quà judicii, missis usque & usque Prophetis, voluntatis suis internunciis, innotuit &c. & ne alius, quicquid id laudis divinæ est, falsò sibi attribuens, pro vero Deo agnosceretur, *inter Cherubinos residens* responsa daturus adiri voluit. Dii igitur alieni sunt, qui operibus istis paria non faciunt. Unde consequitur, Jesum Christum, Servatorem nostrum in secula Benedictum, eô ipsô se Filium Dei, verum illum cum æterno Patre Deum ad conscientiam hominum probavisse, quòd *quæcunque Pater facit, ipse ea pariter faceret*. Psalm. 80. 2. Joh. 5: 19.

2. Verum illum Deum ita *Unum* esse atque *Unicum*, ut *Deum esse* & *habere socium*, inter se repugnent.

Hæc Unitas etsi Ratione comprobetur, vix tamen est, quod ejus fide clariùs & crebriùs inculcetur in S. Literis: quippe cujus tanta est necessitas, ut plures unô Deos colenti religionis suæ fructus pereat omnis, cùm Religio in unius soliusque Dei Gloriam converti debeat. *Hæc est vita æterna, ut te agnoscant illum solum verum Deum* &c.

Joh. 17: 3.

3. Verum illum Deum esse *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*: hunceque, non alium, nobis esse quærendum, adorandum, gratiarum actione glorificandum, ut creatorem hominis recti, & Redemptorem atque Sanctificatorem corrupti. Cui rei plurima lux à S. Literis. Id modò tenuisse sufficiet, Verum Deum non rectè cognosci, nisi cognoscatur ut Pater, æternum habens Filium, quem dare Sospitatorem, & Spiritum, quem tanquam salutis paratæ arrhabonem dono mittere, atque adeò, ut qui peccatori *in Deum fieri*, eique justitiam, vitam, ac consummatam lætitiam & gloriationem in se & per se ipsum impertiri possit. Hinc illa Servatoris nostri effata; *Creditis in Deum, etiam in me creditis. Si cognovissetis me, etiam Patrem cognovissetis. Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui eum misit.*

Joh. 14: 1. 7. Joh. 5: 23.

Atque hæc talia non fas solùm, sed necesse tibi mihique scire: quia ut verè Poeta,

Silius. IV.

——— *primæ scelerum causæ mortalibus ægris*
Naturam nescire Dei.

Sed scire temperanter; quoniam & hoc verum, *Sanctius ac reverentius esse de actis Dei credere, quàm scire.* Expetunt mysteria, inquit Bernh. *simplicem creditorem, arguunt impium discussorem; & ideò credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter.*

Tacit. in Germ. Serm. in Can. D.

§. 2.

§. 2.

Atque sic fuit prior pietatis pars in recto de Deo sensu: Altera est rectus ejusdem cultus, qui non aliud, quàm cogniti Numinis veneratio legibus ab ipso præscriptis devincta, sub spe certa divinæ remunerationis. Hæc vulgò speciatim Religio appellatur.

EXPL.

1. Deum coli velle, & huic fini natum esse hominem, nec gentiles latuit. Cicero, *Omnes*, inquit, *religione moventur*, *& Deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur.* Unde religionem imperiosam, publicè & privatim habendam agnovere, persuasi, *omnia prosperè evenire sequentibus Deos, adversa spernentibus.* V. in Verr. Liv. V. 51.

2. Cultus Dei legibus ab ipso præscriptis definitur. Neque enim aliò, quàm Deo præceptore novit homo, quid Deus de se sentiri, & quò pactò grata sibi fieri, velit. Omnes enim Religionis actus obedientiæ præceptò continentur, & hinc in S. Scriptura superstitionis damnatur, quicquid adinventionis humanæ religioni admiscetur: & verò Deum qui colit ex suo arbitrio, sibi veriùs, quàm Numini paret. Adde quòd vulgò homines animo scelerum conscientiâ & iræ divinæ sensu exagitato delinimenta quærant è Religione. Atqui ut nemo nisi Deus conscientiam inquietare: ita idem solus æstuantis animi motus componere, & conscientiæ inquietem sedare potest. Job. 19: 11. 12. Jac. 4: 12.

3. Religionis studium spe præmii animatur. Unde illud additum, *sub spe certa remunerationis*. Neque enim Deus *frustrà quæri* vult. Quare *accedentem ad Deum credere oportet*, *Deum esse remuneratorem* 1. Joh. 3: 20. Esai. 45: 19 Heb. 11: 6.

Lib. de ira D. cap. 6. *rem quærentibus se. In eo*, inquit Lactant. *Summa omnis & cardo religionis, pietatisque versatur*, nimirum irasci Deum & gratia commoveri: *neque honos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti: nec ullus metus si non irascitur non colenti.* Idem Conscientia *Lib. 1. de nat. Deor.* docuit Ciceronem; *Dii quamobrem colendi sint non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec sperato bono.* Neque tamen virtutis cultor præmium votorum suorum summam atque metam facit. Vide suprà.

§. 3.

Actus Religionis sunt vel Interni solùm, qui animo concipiuntur: vel ex his & externis compositi, qui animo pariter & corpore per verba, ritus, gestus & actiones exprimuntur.

Illi sunt Æstimatio, Amor, Fiducia, Patientia, Timor &c.

Hi sunt Adoratio, Invocatio, Gratiarum actio, Obedientia, Nominis divini sancta usurpatio &c.

EXPL.

1. Clarum est, actibus illis contineri officia, ad quæ attenta proprietatum virtutumque divinarum consideratio nos deducit. Cùm enim Deum Potentissimum, Sapientissimum, Justiss. Sanctiss. Optimum &c. mente cogito, quidni totus in devotam ejus admirationem & æstimationem rapiar?

2. Ex quo deinde fluit, ut eundem etiam debeam *amare*, hoc est, ei tanquam summo & unico meo Bono, omnisque boni unico authori & datori sincerò communionis desideriò *toto corde, tota anima, tota cogitatione* &c. inhærere. Ut adeò *modus diligendi Deum sit ipsum diligere sine modo.* Atque hic *amor unionis* κατ᾽ ἐξοχὴν dici meretur per quem judiciò,

ciô, voluntate & affectu nos unimus cum Objecto, tanquam *Fine* & *Bono* nostro, solidæque felicitatis causa unica. Quo amore non nisi Deum prosequendum esse, constat. Alius verò est *amor* ille *benevolentiæ*, quô propter & in ordine ad Deum, quippe finem bonum que nostrum, æstimiô, quô par est, & benevolentiâ amplectimur fratres, proximos quosque nostros, qui Boni nostri imaginem ferunt, vel ferre possunt.

3. Unde & hoc consequitur, in Deo reponendam esse *fiduciam*, quæ est illa animi in Deum reclinantis securitas absque pavore, cùm ex recognitione virtutum, puta, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, gratiæ, & omninò sufficientiæ ejus: tùm ex fide gratuitæ promissionis, quæ divini propositi de salute hominis notificatio est, passim in verbo Dei facta, enascens. Quæ duo quasi fiduciæ nostræ fulcra sunt.

4. Acquiescendum porrò in ejus Voluntate, quæcunque demùm fuerit rerum nostrarum facies. In quo sita est *Patientia*, qua animus fiduciâ & spe veri Boni munitus terrorem in adversis ita subigit, ut ne facere impediat, quod sui intelligit esse officii: persuasum habens, Deum pro sua Bonitate saluti nostræ quàm optimè consulere, & nisi quæ maximè expediant, non immittere: interim Deô, ut suô, in mediis tribulationibus lætatur, honori ducens, quod datur Deum per eas glorificare.

5. Ex recognitione potentiæ, sanctitatis, justitiæ &c. existit *timor & reverentia*, quâ Deum peccatis offendere sollicitè cavemus, non ea solùm moti ratione, quòd ejus quippe potentissimi & justissimi offensa maximum sit malum conciliare apta, sed etiam eo, quòd libero & liberali favore usus, se dicere voluit Deum nostrum in Christo Jesu. Atque sic vera Numinis reverentia *timor est cum amore conjunctus*, qui & hoc nobis præstat beneficii, ut, quod divini

divini muneris habemus, quale est Verbum Dei,
Phil. 2. 12. salutis partæ pignora &c. arctè teneamus, æternæ *saluti, cum timore & tremore operandæ*, identidem
Psal. 111. 10. intenti. Unde timor Dei veluti custos virtuti additus, atque *Initium* vel *præcipuum sapientiæ*, &
Prov. 1. 7. & 9. 10. *thesaurus* vel *arca*, asservandæ *possessioni salutis*, *sapientiæ & scientiæ*, dicitur in Sacris Literis.
Esai. 33. 6. 6. Qui, quô fieri par est modô, gloriam Nominis atque Virtutum divinarum reputat, illicò & hac lege se teneri sentiet, ut eosdem illos Religionis actus per verba, ritus, gestus & actiones, quæ animum Numinis sensu permotum deceant, exprimat, atque adeò

1. Ut Deum adoret. Habet autem adoratio 1. agnitionem infinitæ *ὑπεροχῆς* & Excellentiæ virtutum divinarum, quarum nullam ne minimâ quidem parte, vel homo, vel quævis res alia creata æquiparare valeat. Atque hoc maximè interest inter Adorationem *religiosam*, quam vocant, & *civilem*. 2. Devotam admirationem, & defixum quendam animi stuporem, qui sensum hominis ponderi gloriæ divinæ ferendo minimè parem profiteatur. 3. Laudis divinæ celebrationem, in quam omnes animi corporisque facultates conspirent. 4. Profundam submissionem, corpore prostrato, aliove gestu decoro, testandam.

2. Ut Deum invocet, h. e. profunda animi demissione, & indigentiæ, indignitatis peccatorumque sensu & confessione in Dei fidem atque opem tanquam unum illud salutis suæ præsidium sese recipiat, & admissorum veniam aliaque bona, quæ sperari & exspectari jussit, cùm sibi, tùm aliis ab eo expetat, & mala deprecetur, idque in nomine unius Servatoris nostri J. Christi. Enimverò frustrà speres veniam delictorum, quæ confiteri & sic non commisisse nolis: frustrà exspectes levamen miseriæ, cujus nullo premaris sensu. Cavendum

verò

verò cumprimis, ne quid vanitati & voluptati suæ petatur. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in voluptates vestras insumatis.* Quidvis agere, atque omninò etiam preces fundere paranti illud certum & constitutum oportet, *finem-Cui & Obedientiæ, primum, item & ultimum, sibi propositum habere Deum.* Jac.4.3.

3. Ut Gratias agat, h.e. ut bonorum, quæ unquam evenere nihi suis meritis arroget, sed Deum unum, eumque liberum & liberalem omnis boni authorem & largitorem agnoscat, eaque propter verbis & factis celebret.

4. Ut Deo *obediat*, id est, ad Voluntatem Dei, sive Conscientia suggerente, sive mandatis & interdictis S. Scripturæ, notificatam, omnes actiones suas, totumque vitæ tenorem componat, amore veritatis & studio glorificandi Deum incensus.

5. Ut si res tulerit per solum Deum *juret*, & jusjurandum religiosissimè servet, id postulantibus Omniscientia, Potentia & Justitia Dei. Ut de Deo *consideratè* loquatur, verbis utens, quæ summam Numinis reverentiam testentur. Ex quo consequitur, *non esse utendum Dei nomine temerè & frustrà:* utrumque enim inconsideratum: *nec esse jurandum ubi non sit opus;* est enim frustrà: *nec curiosè & petulanter disputandum super natura & providentia Dei:* quippe cujus præposteri & temerarii studii non alius potest esse successus, quàm ut Deus, ejusque viæ ad modulum humanæ rationis exigantur, eoque factô Deus *infinitæ sapientiæ consulto* incomprehensibilis, ineffabilis, atque omninò adorabilis esse desinat. Porrò, *ut quidquid Deo præstandum est, in suo genere sit eximium atque tale quod honorem Numine dignum exprimere sit aptum.* Nec non, *ut homo Deum non solùm in secessu, clam omnibus, verùm & palàm atque in cœtu publico colat.* Hîc enim occultare aliquid, perinde foret, ac si quem Deo debe-

debemus cultum, exercere puderet: qui quidem pudor omnem stultitiam superaret. Contrà Cultus publicus non modò de nostra devotione testatur, sed & alios exemplô incitat. Illud denique tenendum, quòd, sicut imperium Dei parvipendere contumeliarum omnium maxima est, ita è contrario omnibus sacrificiis acceptior sit obedientia: & verissimè dictum illud; *Cultum Dei esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, ut eum semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce,* addo, & opere bono, *veneremur.*

Cic. de Nat. Deor. 2.

Cæterùm accuratiùs de singulis hisce Religionis actibus, ut & oppositis Pietati vitiis, videsis in nostris Catechesi, ad Præcepta & Summam Decalogi.

CAP.

CAP. VI.

De Temperantia, Sobrietate, Castitate, Frugalitate, Modestia &c.

§. 1.

Officia Virtutis, quæ in nos respiciunt, Temperantiæ *&* Fortitudinis *nomine generatim comprehenduntur.*

Virtus enim, ubi exercetur in secundis, Temperantia: *Ubi in adversis,* Fortitudo *est.*

Res secundæ dicuntur, quæ percipienti voluptatem afferunt.

Virtutis autem est, rebus secundis sic uti, ut nihil propter voluptatem, quam nobis afferre possunt, sed omnia ex uno amore veritatis faciamus, vel ubi opus est, omittamus.

Unde Virtus virtutis particularis, nempe Temperantiæ, nomen sortitur.

EXPL.

1. QUod in Sacris Literis est σωφρόνως ζῆν, *temperanter vivere*, omnia Virtutis officia, quæ in nos ipsos tendunt, complectitur. Notum enim est, τὸν σώφρονα dici, cui σῶς ὁ νοῦς, καὶ ἡ φρὴν, *sana mens est*, & σῶον φρόνημα *sanus sensus atque studium*: cui ratio, sensus & affectus in secundis pariter & adversis constant. Quapropter σωφροσύνην ad *fortitudinem* simul & *temperantiam* extendi, nihil vetat. Quò etiam pertinet celebre illud Epicteti præceptum,

ptum, *ἀνέχου καὶ ἀπέχου sustine & abstine*, quô totius Philosophiæ moralis Summam contineri voluit.

2. Temperantia virtus est in *secundis* exercenda. Secunda autem vocamus, quæcunque sui generis voluptatem afferunt vel *per se*, vel *per accidens*. *Per se*, velut quæ suâpte naturâ ita comparata sunt, ut vel vitam animalem, quæ corporis; vel vitam humanam, quæ totius compositi est, quô homines sumus, apprimè juvent. In priore genere sunt Pastus & Venus, quibus Natura comitem dedit voluptatem, ut animal ad sui conservationem, generisque propagationem tantò acriùs extimularetur. In posteriori genere sunt spectacula, concentus Musici, suffimenta &c. quæ voluptatem visu, auditu & olfactu percipiendam afferunt. Commoda deinde, quæ conditionem vitæ humanæ quoquô modô meliorem atque ampliorem reddunt, eaque propter voluptate affectum inescare solent. Eò pertinent *dignitas & potentia*: Illa quidem in honoribus, officiis ac muniis publicis, aliorum existimatione, assurrectione, cessione &c. Hæc verò in divitiis, Virorum Summatum gratia, amicorum multitudine & populi favore, sita. *Per accidens* voluptati sunt, quæ usu, opinione & persuasione hominum duntaxat bona habentur. Sic jucundum repetere pericula maris, quibus assueveris. Aranearum esu delectabatur puella Alexandro M. muneri missa. Sic jucunda benè multa, quibus non indigentia, sed luxuria, pretium fecit.

3. Peripatetici *Temperantiam* definiunt *virtutem, quæ mediocritatem servat in expetendis & fugiendis corporis voluptatibus, quæ gustu & tactu percipiuntur.* Verùm jamjam modum excessit, qui voluptatem voluptatis amore expetit: neque alia mediocritas laudi ducenda est, nisi quæ amorem veritatis sponte sua consequitur. Ratione etiam solida caret, quòd

Tem-

Temperantiam ejus tantùm *Voluptatis*, *quæ gustu & tactu percipitur*, moderatricem faciunt. Intemperans enim est omnis φιλήδονος, qui quid amore voluptatis undecunque percipiendæ facit vel omittit. Unde Cicero *Temperantiam* dicit, *quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, ut rationem sequamur, monet.* 1. de finib. Idem alibi, *Temperantia*, inquit, *est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio.* lib. 2. art. vet. Distinguere hîc continentiam & temperantiam est λογομαχεῖν. Latinè loquentes iis promiscuè utuntur: ut Cornel. Nepos; *Nam & non intemperanter concupiscere, quod à plurimis videas, continentis debet duci.* Attic. XXV. 12 Quòd verò continentiæ locum inter virtutes perfectas negant, causantes, eam veriùs dispositionem ad virtutem, quàm virtutem esse dicendam, ex falso fluit principio; *Virtutis* nimirum *rationem in mediocritate totam consistere.*

4. Temperans ad voluptatem *negativè* se habet, ejus causâ nec faciens, nec omittens quicquam: quia solo Veritatis amore ducitur ubivis. *Temperantia*, inquit Sen. *voluptatibus imperat, nec unquam ad illas propter ipsas venit.* Veritas Virtutis cultorem ad temperantiam instruens speciatim hæc est; 1. Res omnes præter Deum esse dona Dei, bonitatem & longanimitatem largitoris testantia, & ad Deum quærendum incitantia. 2. Jucunditatem, quâ sensui & affectui nostro sese commendant non in ipsis inesse, sed ab ea Dei providentia, quâ mentem & corpus arctissimo fœdere copulavit, & copulata conservat, totam pendere. 3. Neque adeò felicitatem nostram in iis rebus reponendam, neque iis fruendum & deliciandum, sed in ordine ad finem, cui serviunt, utendum esse cum gratiarum actione. 4. Præposterum esse studium, velle se rebus, non res sibi, submittere. Quibus intellectis, non difficile est judicatu, quare Scriptura

Sacra Φιλαδονίαν *scortationem* : & avaritiam *idololatriam* puta, affectatam, appellet, & eum, qui Voluptati obsequens suæ omnia ad eam comparat, *ventrem suum Deum* habere dicat.

5. Temperans proinde non est, qui inopia voluptatem negante jucundis abstinet: id quod sensit Mitio Terentianus; *Hæc*, (scil. scortari, potare, fores effringere)

Adelph. 1. 2.

——— si neque ego neque tu fecimus
Non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopiâ.
Injurium est. Nam si esset unde id fieret,
Faceremus.

Scilicet is fortiter temperans est, quem parata copia corrumpere non potest. Nec temperans est, qui morbô vel seniô ita extabuit, ut jucunda illi ampliùs non sapiant. Quod needum sibi contigisse gloriatur senex ille Plautinus;

Mil. Glor. 3. 1.

Et ego amoris aliquantulum habeo humorisque meo etiam in corpore.
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptariis.
Vel cavillator facetus, vel conviva commodus
Item ero.

Nec temperans est, qui sibi inimicus voluptatem fugit *naturâ solùm, quanquam omnes ei paremus.* Nec qui eô tantùm jucunda spernit, quòd *nocet empta dolore voluptas.* Nec denique, qui moderata victûs ratione sanitatem tuetur, ulterà, quàm ut rectè valeat, nihil intendens.

6. Virtus est amor Veritatis & Honestatis unicus, quem si auctorem atque ducem sequamur in usu rerum jucundarum, id ipsum, pro quo Schola Peripat. tantoperè contendit, facilè impetrabimus; ut nimirum præsentibus voluptatibus moderatè uta-

utamur, absentesque non nimiùm desideremus, &, quod Poëta jubet, *aequam rebus in arduis servemus mentem, non secùs ac bonis ab insolenti temperatam lætitia.* Interim à Viro bono non alienum est, interdum quærere *laborum dulce lenimen*, animumque curis levare edacibus, ut gravioribus, quæ facere sui sentit esse officii, suppetere queat. Vide Parte I. cap. 2. §. 3. n. 19. Hor. l. 2. Od. 3.

§. 2.

Temperantiæ in Excessu stupiditas; in Defectu Intemperantia opponitur. Hæc insana voluptatis prosecutio: illa malè sana voluptatis fuga est.

EXPL.

1. Virtus, præsertim particularis, media consistit inter bina extrema, quorum unum *Excessu*; alterum *Defectu* à medio virtutis abit. Idem & hic usu venit. Temperantiæ in excessu *Stupiditas*; in defectu *Intemperantia* opponitur; etsi secus videatur Scholæ Peripateticæ. Quia enim temperantis est, non voluptatis, sed veritatis, officium præscribentis, amore moveri, *Intemperans* deficit, quippe quoniam parùm temperans voluptate ducitur, sive præsenti fruatur, illi se totum addicens, quæ intemperantia est strictiore significatu dicta; sive absentem avidè prosequatur, quæ propriè cupiditas est. *Stupidus* verò excedit, quia nimiùm temperans, voluptatem quoque licitam contemnit, eam, si solo officii amore duceretur, nec prosecuturus, nec aversaturus.

2. Stupiditatis, ejus puta, quæ non naturæ vitium, sed προαιρέσεως est, diversi sunt gradus. Alia enim est *Stupiditas plus quam Cynica* eorum, qui non modò voluptatem non sectantur, sed contrà

etiam seipsos malè mulctant, dolores atque cruciatus gratis & sponte nulla necessitate sibi accersentes. Alia est *Stupiditas Cynica*, Diogenem illum Cynicum habens exemplum, quae & delectationem ipsam & delectabilia, velut Rhetoricam, Poëticam, Musicam &c. pariter oderat. Alia est *Stupiditas Stoica*: fatebantur Stoici, delectabilia quidem, cùm ita ferret officii ratio, non esse rejicienda; ipsam tamen delectationem à Sapiente, quem affectûs expertem esse jubent, alienam existimabant. His paulò saniora tradunt Peripatetici, qui delectationem & delectabilia admittunt, tantùm quod excedit, recidi jubentes, quod vocant *moderari passionibus*. Id tamen peccant, quod voluptatem affectare, & omninò ex affectu agere, non improbant, quanquam neutrum temperantis sit, quippe qui, dolore & delectatione hactenus insuper habitis, id unum agit, quod amor veritatis jubet. Haud dubiè, qui Ratione neglecta passionis impetu ad agendum fertur, peccat, amplius etiam peccaturus, ubi ipsa sibi imbecillitate indulgente locum consistendi non reperit. *Anne vitium nullum est, non parere Rationi?*

§. 3.

§. 3.

Pro rerum secundarum varietate, diversa sunt Temperantiæ & Intemperantiæ nomina.

Temperantia circa pastum versans, Sobrietas: *circa Venerem*, Castitas: *circa sumptus*, Frugalitas: *circa honores*, Modestia: *circa res cognoscendas*, Temperantia generis nomine contenta est.

Sobrietas Temperantia est in usu cibi & potûs, utriusque modum, quantum ad qualitatem & quantitatem attinet, definiente non Voluptatis, sed Veritatis, amore.

Ejus Opposita sunt, Nimia Abstinentia & Ingluvies.

EXPL.

1. QUi non voluptatis, sed veritatis amore ducitur, næ ille corpori alimentum, non libidini fomentum quærit, atque ideò in cibi potusque usu facilè modum tenet. Veritas porrò, quam hic ducem sequi oportet, hæc est: 1. Edendum est, ut vivas; quia vivere jubet Summus ille vitæ Arbiter. 2. Sed vivas, Deum glorificaturus, & proximo profuturus. 3. Adjumenta igitur vitæ quærenda sunt tibi, & usurpanda, eo fine, ut viventi & mens & corpus ad officium faciendum supersint. 4. Quapropter & cupiditati hac in parte modum statuit Natura, paucis contenta & ægrè superflua ferens.

2. Hujus Veritatis amans modum tenebit cùm *in quantitate* cibi potusque, ut ne justò plus, nec intempestivè, nec prolixè nimis, nec festinanter & rustica aviditate liguriendo modum excedat: tùm *in qualitate*, ut ne lautiorem & rariorem expetat, quam valetudinis & laudabilis instituti ratio postulat, memor ejus, quod habet Poëta:

Horat. Serm. l. 1. 2.

Nonne Cupidinibus statuit Natura modum? quem
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,
Quærere plus prodest, & inane abscindere soldo?
Num, tibi cùm fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia, præter
Pavonem, Rhombumque?

3. Edendum porrò esse ut vivas, sed vivas officium facturus, non obscurè docet ipsamet Natura bonis illis, quæ sobrietatem benè multa consequuntur: qualia sunt; prospera valetudo, vigor corporis, gratia vultûs, vegeta & longa senectus, serenitas mentis, firmitas memoriæ, alacritas in obeundis negotiis civilibus & domesticis, assiduitas in studiis, bona fama, rei familiaris incrementum &c. Quare & Scriptura S. in eo multa est, ut sobrietatem commendet ab officio, quod homini Christiano, quà Patrifamilias, quà civi, quà ministro in Ecclesia, quà judici in foro &c. faciendum incumbit.

Luc. 21. 34. Gal. 5. 21. 1. Thess. 5. 8. 1. Tim. 3. 2. 3. 1. Pet. 4. 7. & 5. 8. &c.

4. Ingluviosus & ebriosus, luxui & saginæ mancipatus, omnem Rationis ordinem pervertit, vivendum sibi putans, ut edendi bibendique voluptate fruatur. De Menio eleganter Poëta;

Horat. Epist. l. 1. 15.

Pernicies & tempestas barathrumque macelli
Quicquid quæsierat, ventri donabat avaro.

Et paulò pòst.

Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum & cinerem, non Hercule miror
(Ajebat) si qui comedunt bona, quum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.

5. Ingluviosorum ut abundè satis reperire est ubique: sic qui nimiâ abstinentiâ se macerent vix sunt alii, quàm quos superstitio, error in Religione, aliusve animi morbus tenet. Quales olim Encratitæ & Manichæi, qui vinum, ceu abominabile quid, detestati feruntur.

§. 4.

Castitas Temperantia est in appetitu generandi, modum illi statuente veritatis amore.

Ejus opposita sunt nimia abstinentia & libido.

E X P L.

1. Qui non voluptatis, sed veritatis, amore ducitur, etiam in hoc cupidinis genere modum tenet. Veritas est. 1. Deo, dum conderet hominem, fuisse decretum, multiplicare genus humanum *ab uno sanguine*, ut, quod summæ bonitatis & justitiæ erat, in plurimis glorificaretur, & homines ipsi patrum, filiorum, fratrum atque conjugum officiis inter se devincirentur. 2. Hinc homini primo individuam vitæ sociam addidit, ex carne ejus exstructam, ne illi esset aliena. 3. Sed uni unam fecit conjugem. *Annon unum fecit, quum ipsi superesset Spiritus? Et quid unus ille? Quærebat semen Dei.* 4. Ergò ad *semen Dei*, h. e. imagine Dei præditum, Deoque dignum, quærendum, uni unam jungi necesse fuit. Ut adeò Polygamiæ cum rectitudine imaginis Dei malè conveniat. 5. Eaque de causa Deus homines tales nasci voluit, qui ætate generationi apta se considerent singuli velut mediam partem *unius Totius*, cujus pars altera debeat esse persona alterius sexûs, quam enixo amore tanquam alterum seipsum amplectantur. Vide Part. I. c. 7. §. 3. n. 6. Unde etiam dictum;

Act. 17. 26.

Malach. 2. 15.

Gen. 2. 24. *Erunt duo in carnem unam.* Quam veritatem profanat scortator, quia, *qui conglutinatur cum scorto,*
1. Cor. 6. 16. *unum cum scorto corpus est,* 6. *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non ha-*
1. Cor. 7. 4. *bet potestatem corporis sui, sed uxor.* Neutri ergò amorem alteri debitum vulgare licet. 7. Inprimis tenendum, finem conjugii esse *quærere semen Dei:* extra quem scopum etiam conjunctio viri & fœminæ nefaria est.

2. Qui hujus veritatis amore sibi temperat ab illegitimo amore, legitimique amoris abusu, ejus demùm castitas sincera est, quippe cui *nec nox pudorem adimit,* & quæ mentem quoque servat illibatam. Coacta igitur castitas, nec tuta satis, nec laudata, nec omninò virtus est. Optimè Poëta;

Ovid. l. 3. amor. eleg. 4.

Dure Vir, imposito teneræ custode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda suo est.
Si qua, metu dempto, casta est, ea denique casta est,
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris benè corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas,
Omnibus exclusis, intus adulter erit.

3. Cui firmum stat animo, non voluptatis, sed veritatis amorem sequi, cupiditati ex amore nascenti citò parabit, imò & in amore veritatis exprompta habebit, remedia: quia si ulla, hæc certè cupiditas in lubrico est, incitataque semel in proclive labitur, sustinerique amplius non potest. Ad primum igitur mali sensum expedienda sunt remedia:

Dum novus est: cœpto potius pugnemus amori,
Flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.

Eam

Eam in rem profuerit 1. avertere cogitationem à re amara, ne motus spirituum animalium, quos excitare solet, usu roborentur, & familiaritate mentem devinciant. 2. Rem amatam ea spectare parte, quâ vilescat. 3. Commeditari incommoda, quæ amorem, ubi animô fueris remissô, agminatim consequuntur. Juvat hîc tantisper audire adolescentem illum Plautinum amore insanientem, qui confusa oratione satis ostendit, quas recordiæ det pœnas; *Cistell. 2. 1.*

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum:
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi:
Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota, miser.
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo: ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus:
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet jam id continuò &c.

4. Cautè fugere occasiones. Sunt autem inter occasiones Oculi vagi, illicita circumspicientes: unde Vir Sanctus, *fœdus*, inquit, *pepigeram cum oculis meis, & quid advertissem animum ad virginem?* *Job. 31. 1.* Impudici sermones & conversatio cum libidinosis. *Sumuntur à conversantibus mores: & ut quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem quoque & silicem virum emollit.* *Sen. de Ira l. 3. c. 7.* Imaginum impudicarum contemplatio. Hôc amoris illiciô seductus fuit Chærea apud Terentium

Eunuch. 3. 5. *Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat*

Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi &c.

Librorum amatoriorum lectio. *Obscœnus Scriptor omnium horarum leno est.* Unde Lipsius Principem & Aulicos instruens inter alia inquit. *Atque haec* (Musicen, Poësin) *si arceo, quid de fabellis ad corruptelam factis? In quo numero Amadæus est, ingeniosi nugatoris proles, pestilens liber, si unquam fuit, & natus blandè inficere, aut & interficere juventutem.* 5. Sua libidini fomenta subducere, qualia sunt, luxuria, otium &c. Etenim verè dictum, *sine Cerere & Baccho friget Venus.* Et

Not. ad 1. lib. Polit.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Otiosus non sibi vivit, sed quod turpissimum est, ventri, somno, libidini. 6. Cogitare, Deo ubique præsenti *omnia esse nuda & intimè patentia*, & ἔνδικον ὄμμα, *cernere Deum omnia vindicem.* Quô unô argumentô perditæ libidinis meretricem, Thaidem, non Alexandrinam illam à Poëtis, amorum Doctoribus, nobilitatam, sed recentiorem aliam, olim à Paphnutio Episcopo sanatam & ex Orci faucibus quasi extractam, memorat Volaterranus. 7. Vincere velle vincendi propositô, quod amore veritatis sustineatur, & timore Dei circummuniatur, quale fuisse Josepho, arguit hæc ejus Oratio; *Qui ergò facerem malum hoc maximum & peccarem in Deum?* Durum fateor, & arduum opus est, tàm blandum debellare hostem, qui dum maximè nocet, favere videtur. Verùm quid non potest animus, cui imploratô Dei auxiliô, semel decretum est vincere? Imbelles sunt, qui armis abjectis illicò cedunt, & quid valeant Deo confisi nunquam experiuntur, ignari, quanta sit victricis castitatis laus, quis animi plausus, quis triumphus: & vicissim quis victi pudoris pudor, quæ pœnitudo.

Heb. 4. 13.

lib. 20.

Gen. 39. 9.

4. Qui

4. Qui veritatem suprà expositam, susque deque habent, in alterutram partem peccant, vel *nimiâ abstinentiâ*, vel *profusâ libidine*. Nimiâ abstinentiâ: ut qui corpus suum inediâ perire patiuntur, itidem peccant, qui nullâ justâ causâ à conjugiô abhorrent, & majus illud corpus Societatis humanæ suô quasi nutrimentô defraudant: quod faciunt, qui sui commodi, aut licentiæ, aut honoris gratiâ, aut denique ut admirationem moveant plebeculæ, cælibem agunt vitam. Sic stulti veriùs quàm casti fuit, quod Diogenes visis mulieribus ex olea pendentibus & præfocatis, *utinam*, ait, *arbores cæteræ fructum hujusmodi ferrent*! Et cùm natura veriùs quàm consuetudo amorem conjugii nobis conciliet, & porrò Deus adversus scortationes remedium esse velit in legitimo matrimonio, nullam homini cœlibatûs legem imponit. *Bonum homini* quidem est, inquit Apostolus, *mulierem non tangere. Sed propter scortationes quivis propriam uxorem habeat.* Qui donô continentiæ instructi non sunt, frustrà obtentui habent Religionis & vitæ institutum. Unde illud Servatoris; *Qui potest capere capiat*; non tantùm significationem ἐγκρατείας, sed vim, admonitionis habet, ut se quisque haud indiligenter exploret, an donum hoc acceperit, ne nimiâ sui fiduciâ semetipsum in tentationem conjiciat.

Laert. VI. in Diog.

1. Cor. 7: 1. 2.

Matth. 19: 12.

5. Libidine peccant, qui veritatis obliti affectum conservationi generis humani destinatum ad suam voluptatem referunt. Quales sunt. 1. Qui vel alterius animum in turpitudinis suæ servitutem redigunt, corpore ejus abusuri: vel seipsos alterius libidini prostituunt: ut fit in scortatione, adulterio, incestu &c. ne dicam, nefanda venere. De quibus alibi, ubi ad septimum Decal. præceptum. 2. Qui aliis placere student ad jucunditatem vitiosam atque voluptatem, ex se, suis dictis, factisve, capiendam, & vicissim. Ἀλλ' οὐ τῷ ἁνδάν' ἐσθ' ἃ μηδ'

ὀρθῶς

Sophocl. Oedip. Tyr. δρᾶν καλόν. *Non est enim fatu, quod haud factu bonum.* Quæ facere non est honestum, iis dicendis aures incestantur pudicæ, libidinisque fomes accenditur; in primis ubi peccandi Magister rei turpis addit ἀναιδέστατον. Sanè verò quæ in homine sunt propagando generi, & multiplicandæ Dei imagini, instituta, ad oblectandum audientes narrari, vel joci gratiâ dici, vel cum risu accipi, non convenit: siquidem nihil in ipso risu dignum est. Quod si quid à fine suo abit, flendum id est, non ridendum. 3. Qui libidini fomenta quærunt: qualia sunt; perniciosum ventris obsequium, improba Siren desidia, choreæ, ludi scenici, imagines obscœnæ &c.

§. 5.

Frugalitas Temperantia est, quærendæ & dispensandæ rei familiari ex amore veritatis modum ponens.
Et adversantur Avaritia & Prodigalitas.

EXPL.

1. VEritatis amor studio quærendi & quæsita dispensandi facilè modum definit. Veritas porrò est. 1. Bona externa non tanti sunt facienda, ut iis possidendis felicitatem tuam metiri velis. Matth. 6. 33. 2. *Quærendum est primò regnum Dei, & justitia ejus.* Commoda vitæ præsentis accessionis & auctarii vicem habeant. 3. Si quærenti, quod primum & *unum illud necessarium* est, contingant, iis ne fruatur, tanquam *Bono suo*, sed utatur tanquam adminiculis ad finem suum ordinandis. 4. Finis, cui serviunt bona externa, cùm pretium ipsis, tùm modum desiderio nostro statuit. 5. Quæruntur vitæ præsentis commoda, tùm tibi tuisque pro statu & loco, quem obtines, sustentandis, tùm aliis, qui ope tua indigent, sublevandis. In hos usus dispen-

spensare quæsita frugalitatis est. 6. Rei familiari ut servias recte, opus tibi faciundum est, pro honesto vitæ genere, quod semel fueris amplexus.

2. Qua veritate cognita, quæ viri frugalis partes sint, haud difficile est judicatu. 1. Alieni abstinentissimus, sui diligens, non sumit, unde non oportet, neque adeò aliena vel vi, vel fraude ad se pertrahit, nec turpem illiberalemque quæstum facit. Id enim non frugalis, sed sordidi est, qui *nescit, quò valeat nummus, quem præbeat usum?* Quales sunt, qui alienis serviunt voluptatibus, lenones, agyrtæ, sycophantæ, adulatores &c. quibus odor lucri bonus è re qualibet. Contrà vir frugalis quæsitis parcendo, & operis quid honesti faciendo Catonem illum Seniorem imitatur, qui *duobus proventibus se*, ajebat, *rem familiarem regere & augere: parsimoniâ & agriculturâ, quarum altera fructus præbet, altera modum usus adhibet.* 2. In parandis & retinendis opibus avaritiæ tùm crimen, tùm suspicionem pariter vitat, pecuniæ quærendæ nunquam eò usque incumbens, ut ea cura animum distinens à cœlestibus ad terrena avocet, atque ad pietatis exercitium, virtutisque culturam, ineptum reddat. 3. Quia suum cuique rei, atque adeò & præsentis vitæ commodis statuere novit pretium ex usu, ad quem valent, tantum quærit atque recondit, quantum usus ille postulat. Et rursus quæsita prudenter dispensat, ut sumptu supervacuo rem familiarem dilabi non sinat, neque tamen suis suorumque rebus necessariis non satis provideat. Utitur divitiis tanquam moriturus, itemque parcit iisdem tanquam victurus: sic

Parcere divitiis qui tempore novit, & uti,
Ille modum servans inter utrumque sapit.

4. Quærit & quæsita asservat, cùm sui suorumque; tùm

tùm aliorum gratiâ. *Suî quidem, suorumque gratiâ*, ut habeat, *tùm* quæ ad vitam & valetudinem pertinent, puta victum, vestitum & habitationem: *tùm* quæ ad officia vitæ, vel artis, quam profitetur, ritè obeunda requiruntur. Sic Doctoribus librorum, agricolis instrumentorum rurestrium, aliis alia supellex est necessaria. *Tùm* denique quæ ad vitæ commoditatem & civilem quandam honestatem spectant, quorum inopia non conficit quidem omninò, at certè animum malè firmum affligit & dejicit, aut contumeliis opportunum facit, ac denique impedit, quominùs pro vitæ conditione, aut ætatis munerisve ratione contemptum evitare, & conjunctum cum gravitate decorum servare queat. Unde dictum, multorum *virtutibus obstat res angusta domi.* Rursùs frugalis quærit & quæsita asservat, in loco & tempore depromenda, *Aliorum gratiâ*, ut nimirum & aliis prodesse, eorumque usibus servire
Eph. 4: 28. possit. Unde etiam præceptum; *Qui furatus est, ne furetur ampliùs; imò laboret, faciens bonum* (nemini noxium, sed utile, quo usus humanæ vitæ carere non potest) *ut habeat, quod impertiat opus habenti.* h. e. Ut non tantùm ipse habeat, unde vivat, sed & insuper aliquid, quo egenos, laborare non valentes, adjuvet. Eò tendit tritum illud; *Bonus Servatius facit bonum Bonifacium.* 4. Quia *magnum vectigal parsimonia*, qui frugalis est maturè
Epist. 1. sibi suæque rei consulit. *Nam*, inquit Seneca, *ut visum est Majoribus nostris, sera parsimonia in fundo est: non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet.*

3. Avaritia est intemperantia in studio quærendi & asservandi. Malum quo vix gravius ullum, imò omnium malorum radix. *Avaritia* enim, inquit Sallust. *fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocet.* Avaro

magnas

magnas inter opes inopi *curtæ nescio quid semper abest rei. Et crescentem sequitur cura pecuniam, majorumque fames.* Avarorum autem duo potissimùm genera sunt: *Quidam* enim aliena non appetunt, in dando tantùm restricti & tenaces. Quod vitium senibus familiare. Unde Mitio apud Terent.

Solum unum hoc vitium adfert senectus hominibus, *Adelph. 5, 3.*
Attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat est.

Alii ad accipiendum proni unde libet lucrum captant, etiam minimum, & è re turpi. Cujusmodi sunt, qui illiberales præstant operas, ob vile lucellum indigna facere aut pati non erubescentes: ut lenones, aleatores, fœneratores, fures, grassatores.

4. Prodigalitas est intemperantia in sumptu faciendo. Prodigus patrimonium effundit *vel inconsultè largiendo.* Quid autem est stultius, quàm quod libenter facias, curare, ut id diutiùs facere non possis? In proverbii consuetudinem venit, *Largitionem fundum non habere.* Etenim quis potest esse modus, cùm & iidem qui consueverunt, & illud idem alii desiderent? *Vel in voluptates suas & luxum impendendo.* Sic prodigi sunt, *qui epulis & visceratitionibus & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam sunt relicturi omninò.* *Cic. Off. 2.* Mala, inopiam puta, mendicitatem, contemptum, quæ luxum atque profusionem consequuntur, egregiè depingit Comicus, exemplo hominis & familiæ luxu perditæ.

Conveni hodiè adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis *Ter. Eunuch. 2. 2.*
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.

Videò

Video sentum, squalidum, agrum, pannis annisque obsitum.

Quid istuc inquam, ornati est? quoniam miser quod habui perdidi,

Hem quo redactus sum, omnes noti me atque amici deserunt.

Et alibi;

——————— *O Jupiter!*

Adelph. 4.7. *Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?*
Uxor sine dote venet: intus psaltria est:
Domu' sumptuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans; ipsa, si cupiat, salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.].

§. 6.

Modestia & Temperantia honorum cupiditati ex amore veritatis modum adhibens.

Ei adversantur animi tùm abjectio, sive vilitas; tùm Elatio, sive ambitio, arrogantia, stolida ferocia, vanitas, superbia.

EXPL.

1. Modestiam hîc cum Vulgo Ethicorum strictiùs diffinimus, etsi Latinè loquentibus latiori significatu dicatur *in animo continens moderatio cupiditatum.* (Ad Heren. l. 3.) Qui autem veritatem amat, facilè etiam honorum cupiditati modum constituit. Veritas hîc tenenda haec est, 1. Virtuti & Authoritati, quâ munus, quod geris, carere non potest, honos est habendus. 2. Honor ille adversus contemptum, obtrectationem & calumniam in loco & tempore pro officii ratione asserendus est. 3. Incolumitati famae, ipsique adeò virtuti studendum, non

non propter honorem ut inde voluptatem captes, vel cô te beatum existimes: sed ut quem obtines locum tueri, & officium faciens prodesse queas. 4. Tanti se quisque fieri velit, quanti esse, ipsa propriæ infirmitatis conscientia testatur & officii ratio permittit.

Metiri se quemque suô modulô de pede, verum est.

5. Homo hominem quemque æstimet tanquam naturâ, & si fidei socius fuerit, gratiæ beneficiô sibi æqualem: neque nisi peculiare jus ipsi quæsitum sit, plus sibi quàm reliquis arroget, sed quemque æquo secum jure frui permittat. 6. Ut virtus laudabilem, sic vitium vituperabilem facit hominem. Quæ extra virtutem & vitium sunt, bona & mala, quæ vulgi error naturæ vel fortunæ transcribit, homini per se nec laudi, nec vitio verti debent. Bonorum laus Deo debetur: ob mala tristia nemo contemnendus.

2. Hac veritate agnita non difficile est modestiæ officia definire. 1. Vir modestus reputans nihil esse, quamobrem homo laudari vel vituperari debeat, præter virtutem & vitium, virtute contentus de fortunæ casibus, vulgi opinionibus atque similibus, tanquam ad se non pertinentibus, parùm est sollicitus.

Virtus repulsæ nescia sordidæ Hor. l. 3. Od. 2.
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit secures
Arbitriô popularis auræ.

II. Nunquam ipsi deest voluntas suscipiendi & exequendi, quæcunque veritatis amore digna & optima judicârit. Quare & studio habet famam servare integram; *quæcunque sunt vera, quæcunque gravia,* Phil. 4. 8.
quæcunque justa, quæcunque casta, quæcunque amabilia,

lia, quæcunque bonæ famæ, si quæ virtus, & si quæ laus; hæc animô versat: memor, *bonum nomen unguentô bonô esse melius.* Neque tamen non sat esse putat, *suum se officium fecisse, si non id fama approbat.* *Quis enim*, inquit Seneca, *placere potest populo, cui placeat virtus?* Neque rursus, si quem virtuti vulgus honorem debet, fortè consequatur, eô insolescit, seque felicem existimat, quia nihil suæ voluptati quærit, sed omnia veritatis amori tribuit *nunquam rectè faciens, ut fecisse videatur.* Neque offenditur, si virtuti honorem neget populus,

Eccles. 7. 1.

——— *qui stultus honores*
Sæpè dat indignis, & famæ servit ineptus:
Qui stupet in titulis & imaginibus.

Hor. Serm. l. 1. 6.

III. Alienus ab ambitu honores non petit, etiam *cùm ei patent propter vel gratiam, vel dignitatem.* Delatos amplectitur, si se muneri haud imparem, idque omninò è re publica futurum existimet. Et cùm munus explere volenti authoritas famæque incolumitas abesse non debeat, eam, ubi opus, adversus contemptum & obtrectationem vindicat, cavens interim, ne vanitatis & κενοδοξίας suspicionem incurrat.

IV. Cætera, nec majore se dignum honore judicat, atque se esse infirmitatis suæ conscientiâ compertit: nec bona æstimari solita sibi arrogat, quæ nulla in se esse novit: nec quæ habet, majora atque reapse sunt, credi cupit: nec quæ Deo, vel secundùm Deum aliorum beneficentiæ, accepta sunt ferenda, suæ industriæ, virtuti & ingenio attribuit.

V. *Publicis, non quas ipse fecit, mensuris se metitur:* nunquam sui admirator, nusquam sibi suffenus. Quapropter nec laudis, quâ vel maximè dignus est, cupiditate effertur; nec seipsum laudat; nec ab aliis laudari se velle significat; non ignarus pro-

proverbii; *Laus in ore proprio sordescit.* Nec immeritò. Cùm enim homines societati invicem colendæ nati, totidem corporis civilis membra haberi velint singuli, sed rursum postremam se corporis illius partem, vel saltem cæteris hactenus inferiorem, videri ægrè ferant; certè quidem laudum suarum buccinatores eô ipsô, quòd aliis præferri, & nobiliora societatis membra credi volunt, cæteros sibi inconciliant. Turpis etiam est περιαυτολογία in facinorum & periculorum suorum intempestiva commemoratione. Nec enim, *ut tibi jucundum est tuorum meminisse certaminum, sic & aliis suave est tuos audire casus.*

VI. Neque tamen modesti est, seipsum palàm vituperare, suasque laudes & dotes justô plus extenuare: quod qui faciunt, obliquâ viâ ad proprias laudes grassantur. Qui enim audiunt ipsos, ne eorum vituperationem approbare, eosque parvi pendere videantur, eorum dicta quoquô modô refellere ipso pudore coguntur, neque adeò committere audent, quin ipsorum in laudem aliquid dicant.

VII. Modestus ut magni fieri non petit ob ætatem floridam, formæ elegantiam, corporis robur atque vigorem, doctrinam, divitias, splendorem generis & nobilitatem &c. sic neminem, cui ista desunt præ se spernit, cùm extra virtutem & vitium posita sint. Neminem debita laude defraudat, suas cujusque dotes agnoscit & colit. Ut homo hominis ope atque gratiâ indigere se sentit, juvarique posse persuasum habet, sic de quibusvis in loco & tempore honoris, observantiæ & obsequii cultu quàm optimè semper mereri studet. Quod postremum modestiæ officium cùm homo homini; tùm maximè subditus principi, liberi parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus, clientes patronis, beneficiarii beneficis &c. debent.

VIII. Modestiam denique ostendit sermone, gestu, incessu, totoque corporis cultu, & omni apparatu, quem sors, vitæ institutum, officii ratio & facultatis modus postulant: nusquam alius atque est videri, nec propter vana, & quæ pretii nullius sint, æstimari volens: quia novit, *& leve & parvum esse, animum quod laudis avarum — subruit & reficit.* Juxta præceptum Apostoli, nihil per contentionem aut vanæ gloriæ studium agit, se superiorem facilè ferens, de aliis magnificentiùs semper, quàm de se, opinans. Cautio tamen est ex præcepto Poetæ;

Phil. 2: 3.

De me supercilio mihem, plerumque modestus
Occupat obscuri speciem.

3. Animi Abjectio nimia est modestia, quâ peccant, qui se omnibus honoribus, etiam licitis & necessariis indignos, vel saltem delatis longè inferiores, judicant ex ignavia, mollitie, impatientia & metu periculorum atque ignominiæ seu repulsæ, ut & quia seipsos parùm rectè nôrunt. Hi eò maximè peccant, quòd apud alios animi malè sibi conscii suspicionem conficent, atque ob id ipsis se contemptibiles reddant, & occasiones præclara gerendi, aliisque benefaciendi sæpè sæpiùs negligant, sibi & aliis injurii. Cæterùm qui contempto honore nihilominùs honore se dignos præstant, abjectorum censu eximendi sunt.

4. Elatio animi modestiæ defectus est, si virium ex opposita virtute, non autem præcisè ex actionibus spectes, quod ipsum etiam *Immodestiæ* nomen, quô venire solet, arguit. Ipsa porrò animi elatio diversa sortitur nomina. Ubi enim animus ipse nimia honorum cupiditate effertur, *Ambitio* dicitur: quæ, ut ait Seneca, *non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quâ quondam ejus fuit impudens*

2. de benef. 27.

pudens votum. Ubi quis temerè atque insolenter & falsò sibi tribuit, quæ nisi suî esset ignarus vel oblitus, aut stultus suî admirator, sibi deberi facilè negaret, *Arrogantia* vocatur. Ubi quis è rebus extraneis, veluti robore & vigore corporis, divitiis &c. Item è dictorum & factorum assentatoria approbatione laudem aucupatur, è mustaceo laureolam quærit, ac studiô sibi placendi usque adeò effertur, ut nisi quod ipse facit, nihil rectum putet, *stolida ferocia* est. Sic *Agrippam Postumum robore corporis stolidè ferocem* dixit Tacitus. *Ann. l.* 3.
In ista aula se jactavit, etiam Thraso ille Terentianus, quando sic est gloriatus.

Est istuc datum profectò mihi, ut sint grata quæ facio omnia.

Ubi simulata virtutis specie laus captatur, *Vanitas*: Ubi denique animi elatio, ore, vultu, gestu, incessu, corporis cultu & apparatu se prodit, *Superbia* speciatim appellatur. Superbi ferè difficiles, morosi & iracundi sunt ex opinione contemptûs, quapropter etiam vulgò ex invidia laborant, & casus plerumque superbiam sequitur, juxta illud;

Alta ruunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Superbus enim in Dei & hominum odio est: atqui necesse est cadere, quem nec Dei nec hominum favor tuetur & sustinet. *Ante confractionem est elatio, & ante offensionem celsitudo animi.* *Prov.* 16: 18.

§. 7.

Temperantia in rebus cognoscendis, nomine generis contenta, cupiditati sciendi ex amore veritatis modum, præscribit.
Ei adversantur curiositas & sciendi tædium.

EXPL.

1. TEmperantia in cupiditate sciendi, quia vulgò in virtutum moralium numero locum non invenit, speciali nomine caret. Attamen cùm haud dubiè peccet, qui rerum scientiam solâ Voluptatis gratiâ venatur, & nimia sciendi cupido ad mores mutandos, teste experientia, plurimum valeat, Temperantia, illi cupidini modum ponens, virtutum numero excludi non debet.

2. Cupiditas sciendi unde nascatur, & quomodo ad laudabilem usum, & sobriæ mentis obsequium componenda, prolixè exponit noster *Dialogus de Intellectus humani imbecillitate* &c. Ubi inter alia sequentia sive cavenda, sive tenenda præcipit.

I. Finitæ mentis tuæ, & infinitæ potentiæ Dei probè memor cavesis affectui indulgeas in sacris, quà fidei mysteriis, quà rebus miraculô gestis. *Non fastidienda in Scripturis aperta, nec quærenda in cœlis clausa & obsignata: ne in his illicitè curiosi, in istis damnabiliter inveniamur ingrati.* Novitatis amore usque eò duci, ut nova secteris, amplectaris, moliaris in rebus *fidei*, quas à captu finitæ corruptæque mentis longè remotas, sacra clamat pagina; miracula quoque curiosæ temeritati suæ ad sensus humani modulum & naturæ legem hactenus non prorsus ignotam exigenda & censenda subjicere; id verò animi parùm in fide firmi, irreligiosi, profanique judicium est.

II. Ca-

II. Cave putes, novitatem rei, veritatis esse argumentum. Hominis est parùm sibi constantis, opiniones ceu veras amplecti, quia novas, usque inauditas: bonisque tanquam solidis acquiescere, quia raris, necdum usu compertis. Attamen multi vel ipso curiositatis affectu excæcati, opinionum veritatem, rerumque bonitatem vix alio quàm novitatis & raritatis nomine æstimant, veritatis inventæ argumentum facientes, quod demùm inveniendæ debuerat esse incentivum.

III. *Quia plus scire velle quàm sit satis, intemperantiæ genus est*, scienda æstimemus ex utilitate, quam si quæ nullam promittant, acrius quidem illa studium, quale curiosorum esse solet, non merentur. Ea porrò rerum conditio est, ut suæ plerumque utilitatis, inutilitatisve indubium illicò attendenti faciant indicium. In sacris præter quòd *nescire velle, quæ Magister maximus nescire nos vult, erudita inscitia est*, quidni libenter, quia utiliter, ignoremus, quæ non præbent οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει &c. *Stultas quæstiones cohibe, inutiles enim sunt & vanæ.* Quarum quanta luxuria & superfluitas apud *Scholasticos*, quos vocant! qui quicquid in Aristotelis & plus minùs trecentorum interpretum ejusd. artibus supervacuum erat, transtulere in suam. *Quantò temporum impendiò, quantâ alienarum aurium molestiâ hæc illis laudatio constat? Sed ad nostros quoque cùm perveneris, fortè ostendam multa securibus recidenda.* In liberalibus studiis rejectaneum haberi turò potest, quicquid *nec percipiendæ virtuti locum parare*, nec vitæ humanæ plurimarum egenti rerum prodesse queat. Rectè rursus Seneca; *Quid? quòd, inquit, illa liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideò non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus Gram. scripsit: miser, si tàm multa supervacua legisset. In his libris de patria*

1. Tim. 1: 4. 5. Tit. 3. ..

Epist. 88.

Homeri quæritur, in his de Æneæ matre vera &c. & alia, quæ erant dediscenda, si scires. I nunc, & longam esse vitam nega.

IV. Ubi certum habes, saltem *morali*, quam dicunt *certitudine*. Vera usque adeò abstrusa, ut indagatu impossibilia judicet prudens & non inexpertus quisque: rursum Bona adeò esse minuta & tenuia, ut nullam ad veri nominis felicitatem momentum adferre queant habenti; illa equidem talia esse negem, quæ vel curiosum fatigare, vel hiantem spe vana ducere debeant, qua demùm cunque novitate placeant. Hanc si in nosmet legem sanciremus, brevi, puto, futurum videremus, ut disciplinarum corpus resecta difficilium quæstionum superfluitate detumesceret, & efferus ille cupiditatum nostrarum impetus relanguesceret.

V. Cave timeris, quæ nescire velle potiùs, quàm scire, tui sit officii. Turpe est fimbrias extendere suas, & alienis implicari negotiis, cùm tuis fortè nullus supersis. Turpius, cognoscere velle, ubi ignoscere debeas, *festucam in oculo fratris spectare, trabem in tuo non animadvertere.* Ad mala & aliena vigilax, *hic tantùm*, in bonis, puta, & domesticis, *urbana curiositas torpescit.* Scitè Poëta;

Tert. Apol. c. 1.

Hor. Serm I. 1. 3.

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tàm cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contrà
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus & illi.

Et non multò post;

Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala.

Præ-

Præcepta ista singula fusè prosequitur Dialogus suprà citatus.

3. Insita sciendi cupiditas naturæ vitiatæ contagiô in pravam sciendi libidinem degenerat, unde *novitatis amor* sive *curiositas* vitio danda, existit. Est autem curiositas *inordinata sciendi cupido*: affectus, quò indomabilior, hôc nocentior, irrequietum malum, quod, ubi invaluerit ad nefanda perducit. Ut enim in mala scabie est scalpendi quædam voluptas: sic curiositas quà quà potest, libenter invenit, quod oblectet. Quod suô exemplô plus satis docent scioli, nefariarum artium magistri, Hæretici, Athei &c. Nec dum tamen malorum est satis. Curiositas voluptati pararios habet omnes sensus. Multi occulta curiosis oculis usurpârunt, ut Bethsemitæ, Eudoxi, Plinii &c. eô spectaculi pretiô, ut miseri malè mulctarentur. Sunt qui velut œstrô perciti gregatim peregrino solo impluunt, principum aulas perreptant, secreta rimantur &c. curiositati thronos erexisse domi, non satis habentes. Multos ad divagandum incitat novorum sitis, quam transennas, curiosorum latibula, obsidentes explere nequeunt. Sunt, ut breviter dicam, quorum curiositati nulla theatra satiant satis, nullæ tabernæ, officinæ nullæ artificum & artium sensûs voluptati servientium. Usque adeò omnes ista libido inficit sensus, ut adulteria ad *curiositatem alieni tori voluptates explorandi* retulerit Plutarchus.

4. Sciendi tædium, ex adversa parte Temperantiæ in studio cognoscendi oppositum, intelligimus quale est, tùm illorum, qui veritatem suô studiô dedignantur per ignaviam: tùm illorum, qui *Scepticis similes manibus quæstionibus fatigati, dum latè quærunt incerta, latiùs disputant præsumpta.* (*Tert. de anim. c. 11.*) Hi quia culpâ ingenii, aut defectu manuductionis vel debiti studii discere & intelligere nequeunt, locô doctæ ignorantiæ artem dediscendi & obliviscendi quæ dice-

dicerant, amplectuntur, & quasi *Saturnina fame* proprios conceptus devorant.

5. *Δοξοπαντοσοφία præsumpta omnium scientia*, quâ nonnulli admiratione & amore sui infatuati, se totam *scientiæ boni malique arborem* absumpsisse somniant: & *Solifscientia*, quâ quidam constitutô quasi sciendi monopoliô sibi soli sapere videntur, *stolida ferocia* est, de quâ suprà.

CAP. VII.
De Fortitudine.

§. 1.

Virtus inter adversa est Fortitudo.

Adversa sunt, quæ sentienti dolorem inferre, ac metum, tristitiam, similesque affectus, qui animum malè habent, concitare apta nata sunt.

Adversa ex amore Veritatis ita æquô ferre animô, ut non impediant, quò minùs id unum velis & agas, quod amori veritatis convenit, Fortitudo est.

E x p l.

1. Rerum adversarum totidem ferè genera sunt, quot secundarum. Sic morbi atque dolores, quibus quasi virgis initiamur ad mortis sacra, sollicitudines, ægrimonia, mœror, pavor, paupertas, contemptus, fames, sitis, æstus, frigus, habitatio incommoda, nuditas, conjugium infelix, lues, tyrannis, bellum, incendia, annonæ caritas, oppressio egenorum, exactiones, vastationes, calumniæ, exprobrationes, persecutiones, exilia, verborum injuriæ &c. Mala tristia cujusque generis & nominis, sive incumbentia, sive imminentia: mala tùm animi, tùm corporis, tùm hominis, in terum adversarum censu connumerantur. De quibus ex oppositione secundarum facilè constat.

2. Sed meminisse oportet, adversa, injucunda & noxia, demùm talia esse & haberi, ubi doloris & tristi-

tristitiæ sensum ingerunt, animumque malè afficiunt, secundùm illud, quod de affectuum usibus communibus dictum Lib. I. cap. VI. §. 3. Neque tamen, si animo dolorem, tristitiam, metum &c. injiciunt, illicò etiam calamitatem inferunt. Quod enim senex ille Terent. de Bonis, ut patria incolumi, amicis, genere, cognatis, divitiis, dixit;

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet: Heaut. 1. 2.

Qui uti scit, ei bona; illi qui non utitur rectè, mala.

Idem etiam suo sensu de malis externis verissimum affirmari potest: ei demùm, qui iniquô fert animô, & adversa, utut suô bonô, immissa nollet, verè mala sunt. In hac enim pugna, quæ voluntati cum adversis intercedit, vera consistit animi calamitas. Unde rectè Seneca; *Non quid, sed quemadmodum feras, interest.* De Provid. Divin. 2.

3. Virtus inter adversa animum præstat invictum, quia est amor Veritatis unicus, legem imponens affectibus & actionibus. Veritas hic præcipuè tenenda hæc est; 1. Cùm omnia prorsus, tùm præcipuè omnes vitæ nostræ partes arbitriô & voluntate Dei gubernantur. 2. Sola Dei manus utriusque fortunæ arbitra est, & moderatrix. 3. Illaque non inconsiderato impetu ruit, sed ordinatissimâ justitiâ bona simul ac mala dispensat. 4. Cùm ergò Dei manu exercemur per afflictiones, in illis agnoscenda justitia primùm & æquitas, deinde salutis nostræ cura. 5. Porrò si æquum est nos affligi; iniqui sumus, qui obmurmuramus: si saluti sunt adversa; ingrati sumus, nisi æquô placidôque animô suscipiamus. Justas autem esse afflictiones, quâ fronte negemus? Saluti esse easdem, quibus? unde? quô pactô? passim Scripturâ S. docemur, quam consulere necesse habet, quisquis patientiam rectè comparare velit. 6. Meminisse oportet, *Bono suo Bonum communionis longè esse præferendum.* Vide

Part. I. cap. IX. §. 3. unde illud; *Dulce & decorum pro patria mori.* Et, *O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria potissimum est reddita!* 7. Meditanda quoque sunt illa tria, *Huc, Hic, Hinc.* Huc te, Deo vocante, venisse: Hic te, Deo jubente, esse: Hinc te, Deo evocante, abire. De quibus vide Part. I. Cap. II. §. 19. 8. Ab officio discedere spe commodi, vel metu incommodi, ejus est, qui sui curâ, studiô ac sollicitudine, non amore Veritatis, neque adeò amore legis & voluntatis Dei, ducitur.

4. Atque hinc patescit

1. Fortem esse non desinere, qui ingruentibus rebus adversis, puta, naufragiô, morte repentinâ &c. expallescit, & totis quasi artubus concutitur, etsi Vulgus, & Stoici diversum opinentur. Metu enim percelli in genere moris nec bonum nec malum est. Ast metu impellente officium deserere suum, & facere quid, aut omittere, quô amor Veritatis violetur, id verò turpe & molle est: quippe quod non ad passionem, sed ad actionem voluntatis nostræ referendum est.

Hor. l. 3. Od. 3.

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Lib. 5. c. 14.

Quô, inquit Lactant. *nihil verius dici potest: si hoc ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne à fide justitiaque declinent. Qui non tyrannicas jussiones, non præsidum gladios tremunt, quominùs veram & solidam libertatem constanti mente defendant, quæ in hoc solo tuenda sapientia est.*

2. Rursus nec illicô fortem esse dicendum, qui rebus adversis aut imminentibus animô non angitur; aut præsentibus non dejicitur, rebus tristibus nec impallens, nec illachrymans. Possunt enim

hæc aliunde, quàm à virtute proficisci: velut, ab ingenio duro, malorumve assuetudine, quâ contra fortunam & casum quemlibet obduruerit: qualis nauta,

Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos, Acroceraunia.

Quales etiam Lacedæmoniorum pueri, qui ad Dianæ aram loris ad sanguinem usque flagellati ne ingemuere quidem. Possunt etiam eadem à jactantia, vanitate, gloriæ studio, metuque ignominiæ proficisci. Sic fortes nego milites, quos vel prædæ gloriæve cupiditas ad arma pellicit, vel hoste circumdatos ipse metus audaces esse cogit. Quæ igitur ratio Temperantiæ, eadem & Fortitudinis est. Vir bonus temperans esse non desinit, etsi cor ei saliat, lætitiâ gestiat, totusque vultus & oratio hilaritatem spiret. Nec rursus ilicò temperans est, qui in rebus secundis lætitiam cohibet, hilaritatemque supprimit: cùm & hæc ab animo vana cupiditate victo proficisci queant. Quapropter exterior ille apparatus, mœstitia, pallor, lachrymæ &c. ad fortitudinem nihil, quippe quæ in animum tota se recepit, propositô atque studiô faciendi, quod amori veritatis convenit, unicè contenta.

5. Fortitudo igitur non in eo est, ut metum atque tristitiam moderetur, quod vult Peripatus: neque ut expellat, quod placuit Stoæ. Verùm ut negativè potiùs ad illa se habeat, eorumque intuitu nec agat quicquam, neque omittat. Fortem igitur laudamus illum, qui inter adversa id unum agit, quod jubet Veritatis amor, ei soli auscultat, soli paret, neque ullâ suî, commodique sui curâ atque studiô inde dimoveri patitur.

§. 2.

Fortitudo duplex est; Patientia, & Fortitudo strictè sic dicta.

Patientia est Virtus inter adversa, quæ incumbunt.

Expl.

1. Vulgò Fortitudinem dividunt in *Veram*, quam definivimus, & *Apparentem*, quæ non honestate, sed utilitate, jucunditate, aut alia quapiam ratione ad pericula subeunda incitat. Quam deinde faciunt quintuplicem, *civilem*, *militarem*, *iracundam*, *fiduciariam*, & *insciam*. Verum hæc quidem non rei, sed nominis, distinctio est. Alii deinde fortitudinem dividunt in *Domesticam*, quæ in adversis prosperisque rebus animum præstat immotum: & *Bellicam*, quâ in Bello honestè occumbere vir fortis non dubitat. Atqui ea Objecti verius, nudè & in se spectati, quàm fortitudinis, divisio est. Ut enim objecti, id est, rerum adversarum, varietas, ipsam virtutem, ejusve potiùs officia variet, necesse est ea non simpliciter ut adversa spectari, sed ut talia, quæ animum diversimodè afficere, & alios atque alios in eo affectus ciere aptæ sunt, unde etiam consequenter diversa virtutis officia existunt. Adde, quòd prospera non fortitudinem, sed temperantiam occupant. Rectè Poëta:

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare.

Quod sequitur, temperantiæ est

——— *sapienter idem*
Contrahes ventô nimiùm secundô
Turgida vela.

2. Ad-

2. Adversa igitur spectabimus vel ut *incumbentia*, vel ut *imminentia*. Illa tristitiam atque dolorem, & si, quod plerumque in malis contingit, iniquô animô ferantur, calamitatem inferunt. Hæc verò timorem, horrorem, &, ubi animus malè compositus fuerit, desperationem incutiunt.

3. Virtutem porrò inter adversa, quæ incumbunt, *Patientiam* appellamus, quæ animum ita præstat immotum, ut adversa non impediant, quominùs facias, vel omittas, quod fieri, vel omitti, veritatis amori convenit. Videsis suprà §. 1. n. 5.

4. Patientiæ igitur est 1. Ad tristitiam atque dolorem *negativè* se habere, non humanitatem exuere, & tristibus perinde ac lætis, nedum lapidis instar nulla re, affici. Nihil ergò ad eam Stoica indolentia & molestiæ vacuitas. 2. Animum in proposito sancto perseverantem exhibere. Atque hinc Apostolus patientiæ pietatem, quæ ejus quasi anima & vita est, succenturiat. A vera igitur patientia longissimè abest durities illa desperatorum, qui nullo metu frangi & ab improbitate motum revocari possunt. 3. In adversis Deum sequi, ob rationes de quibus suprà. *Optimum est*, ait Seneca, *pati quod emendare non possis, & Deum, quo Auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.* Et paulò pòst ex Cleanthe; 2. Pet. 1: 6. Epist. 107.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Quibus gemina vel eadem bene multa occurrunt ex Stoicorum disciplina, legenti Scripta Senecæ. Cave verò putes, patientiam non aliò nisi fundamentô, quàm, quia frustrà obluctêris vel inviolabili naturæ necessitati, cui, quicquid patimur, intextum sit, vel Fortunæ ἀτυχίᾳ, quæ cæcis oculis me-

merentes pariter ac immerentes vulneret. Secùs enim de adversis sentiendum esse veritatis amanti, suprà docuimus. 4. Patientia Veritatis amore è Scripturarum S. oraculis proficiente subnixa eô maximè insignis est, quòd facit, ut Deo tanquam Patri mediis in tribulationibus confidas, côque tanquam unicô tuô bonô contentus jacturam commodorum seculi moderatè feras: quinimò & honori deputes, quòd detur, Deum per afflictiones glorificare.

§. 3.

Fortitudo Virtus est inter adversa, quæ imminent.

Expl.

1. Fortitudo adversus pericula sive mala imminentia animum præstat invictum. Unde Vir fortis, quia solo veritatis & officii amore ducitur, pro gloria Dei, pro Religione, pro Patria, pro Principe &c ubi necessitas id postulat, periclitari, ardua & difficilia aggredi ac perferre & vel mortem oppetere non dubitat.

2. Fortem igitur facit animus infractus, non indolentia, non ingens corporis robur: Fortem facit veritatis & honestatis amor, non vana cupiditas, non quæ cæco impetu fertur, audacia. Quando autem Virum fortem postulante officii ratione etiam pericula refugere negamus, pericula intelligimus, superatu quidem difficilia, nec tamen impossibilia, φοβερὰ quidem, sed & θαῤῥαλέα, item quæ cum scelere & infamia non sint conjuncta. Cæterùm ut fortis esse non desinit, qui mala imminentia metuit; sic fortis illicò dici non meretur, qui pericula contemnit & provocat: Vide suprà §. 1. n. 4. 5. Rectè Seneca, *Fortitudo*, inquit, *non est*

Epist. 85.

est inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio.

3. Unde colligas, Viri fortis esse 1. Pensare vires & pericula: quia amori veritatis malè convenit cum inconsiderata temeritate. Fortes ergò non sunt, quos periculi ignoratio reddit audaces, cognitio pavore dejicit. Omnem stultitiam superat, contemnere quæ prodigiosa & supra hominem sunt. 2. Non sui, nec rerum externarum curâ, nec placendi studiô, sed solo veri atque honesti amore duci. Temerarii igitur & audaculi veriùs quàm fortes habendi, qui sive domi, sive militiæ, ex causa injuriæ cujuslibet, vel ulturi aut defensuri, vel provocantes aut provocati, ad certamina singularia præcipites ruunt: hinc quidem immodici æstimatores sui ipsorum atque honoris; inde verò vitæ, quâ nihil carius habere sibi videntur, stultissimi contemptores. Aliter tamen sentiendum est de iis, qui necessitate urgente, Republica jubente, Veritatis amore non prohibente, prœliis se offerunt, quæ definitô numerô conducuntur, fatô & eventu populorum suorum decertaturi. Insanos, non fortes, dicam, qui placendi studiô, ut vivere, sic mori, è Principum suorum arbitrio obstinant: scil. institutô vitæ dignum invenientes exitum. Non fortem, sed φιλαυτον sese probavit Cato Uticensis, quando violentas manus sibi intulit, ne vultum tyranni aspiceret. Impotentiæ, & invidiæ, non fortitudinis est, quod Poëta de Cleopatra canit;

Vide Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 20. §. 43.

Ausa & jacentem visere Regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes: ut atrum
Corpore combiberet venenum:
Deliberata morte ferocior. &c.

Horat. Carm. l. 1. Od. 37.

3. Viri fortis est, meditatas habere rationes, queis metum

metum sibi imminuere vel adimere, & ex adverso animum addere queat. *Semper item quicquid fieri potest, quasi futurum cogitare. Rebus demere tumultum, ac videre, quid in quaque re sit: sciet nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem.* Animum denique obfirmare in pericula, quæ rerum honestarum executionem remorari possunt: ita quidem, ut quanquam Vir fortis contra adversam fortunam luctetur, nihilominùs animô nunquam decidat, ne ipsa quidem morte à sancto proposito dimovendus.

Sen. Ep. 24.

4. Firmissimum porrò fortitudinis munimentum fides est, Dei donum, *mundi*, i. e. concupiscentiæ & tentationis *victrix*. *Per fidem* Gedeon, Barac, Samson &c. *devicere regna, obturaverunt ora leonum, extinxerunt vim ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt ex infirmitate, fortes extiterunt in bello, castra verterunt exterorum.* Hac fortitudine inclyta fuit olim, quæ imbellis alioquin videri poterat, Christianorum turba, certatim ad lanienas ob religionis causam raptata. *Cùm videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Latrones & robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant & gemitus edunt: vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de Viris taceam, pueri & mulierculæ tortores suos tacitè vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, & Mutio glorientur & Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quòd captivum puduit vivere: alter ab hostibus deprehensus, cùm videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eâque pœnâ veniam, quam non meruerat accepit. Ecce sexus fœmineus & fragilis*

1. Joh. 5. 4.
Heb. 11. 33. 34.
Lactant. Instit. divin. lib. V. cap. 13.

ætas

ætas dilectari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, qua licet vitare, si velint; sed voluntate, quia confidunt in Deo.

§. 4.

Fortitudini opponuntur, in Excessu quidem Furor; *in Defectu* Mollities.

Ille dolorem quodammodò prosequitur; hæc eundem fugit.

Expl.

1. Vir fortis dolorem, metum &c. hactenus non curat, nullòque numerô habet, quantum ad animi sententiam attinet, etsi in malis non sit ἀπαθής. Virtutis igitur modum excedit, qui dolorem vel res dolorem afferre, aptas natas prosequitur. Deficit, qui dolore vel doloris metu vincitur, & victus officium deserit, atque ideò quantum pote dolorem fugit.

2. Dolorem sanè metum atque tristitiam, quatenus animo ægrè faciunt, nemo sectari videtur. Timore quidem & periculo gestire atque delectari videntur audaculi præsertim & bellicosi juvenes: sed delectatio non tàm ex ipso metu, quàm spe metum sustinente provenit. Unde etiam fiat, ut qui lachrymis & tristitiæ se tradunt, vix ullam admittentes consolationem, ipsâ suâ tristitiâ delectari videantur, causam videsis Part. I. C. 6. §. 1. n. 6. Sunt tamen, iique non rari, qui ultrò in ea se præcipitant mala, unde nil nisi dolorem consequuntur. Id quod ad furorem satis est.

3. Furor autem vel Patientiæ, vel Fortitudinis strictiori sensu intelligendæ opponitur. Itaque Furor, Patientiæ excessus, est *immanitas*. Sic immanes sunt, qui in seipsos sæviunt, mortem sibi

P con-

conscifcunt &c. Fortitudinis strictius dictæ excessus est *Audacia*, rebus ambiguis & periculi plenis temerè gaudens. Sic audax est, qui magna tempestate oborta sine causa se mari committit: qui temulentorum digladiationibus intercedit &c. Audax est, qui ejusmodi periculis quasi prurit, aut jactantiâ & vanitate in ea fertur.

4. Mollities Patientiæ in defectu opponenda *Impatientia* est. Sic molles & impatientes dicimus, qui afflictâ fortunâ, salute &c. officium deserunt, luctu turpi, questu ignavo, flebilibus modis fortem suam prosequentes. Mollities â fortitudine strictè sic dicta deficiens, *Timiditas* & *Ignavia* appellatur. Unde timidos & ignavos dicimus, qui, simul ut viderint hostem, stationem deserunt, abjectôque scutô fugâ se proripiunt. Ridetur Macedonum Rex Perses, qui, cùm positis per abrupta castris ita Macedoniam suam armis vallâsset, ut non reliquisse aditum, nisi â cœlo venturis hostibus videretur, securus nihilque mali metuens subita Romanorum irruptione per loca, quæ volucribus quoque videbantur invia, tanto territus est opere, ut, teste Historico, *pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret: classem cremari, ne incenderetur.* Usque adeò timidus, ubi animo fuerit indulgentiori, nec consilii locum, nec auxilii copiam habet.

Flor. l.2. c.12.

CAP.

CAP. VIII.

De Virtutibus reductitiis, ad Temperantiam & Fortitudinem revocandis.

§. 1.

Ad Temperantiam & Fortitudinem reducuntur Magnanimitas, Æquabilitas, Ἀυτάρκεια & Mansuetudo.

EXPL.

NOn obscurum est attendenti, illum, qui nihil voluptatis causâ facit, neque porrò lætis vel adversis ab officio dimoveri patitur, Magnanimum, Æquabilem, sorte sua contentum atque mansuetum fore. Quapropter virtutes istas haud immeritò reductitias appellaveris, è characteribus & officiis suis deinceps dignoscendas.

§. 2.

Magnanimitas honorum cupiditati in magnis & arduis ex amore veritatis modum ponit.
Ei adversantur audax Insolentia & Pusillanimitas.

EXPL.

I. MAgnanimus suis è characteribus spectatur, quales sunt, 1. Veritatis & officii amore motus magna magnorum gratiâ suscipit & agit;

Nicom. l. 4. c. 7. unde & nomen illi factum. *Ipsa verò Magnanimitas circa magna vel ex nomine versari videtur*, inquit Aristoteles. 2. Magnanimus sola animi bona, sapientiam puta, & virtutem, in rebus humanis magni facit, cætera, quatenus cum ratione fieri potest, insuper habens, nec de iis sive parandis, sive retinendis, magnoperè laborans. 3. Præ cæteris honorem, tanquam bonorum extrariorum maximum, virtutis quippe & præclarè factorum præmium, hactenus ita æstimat, ut tamen voluptatis indidem capiendæ intuitu nunquam agat. 4. Non nescius, honorem, tanquam bonitatis testimonium, ab Optimis non nisi Optimis haberi, id operam dat, ut à Viris cordatis & optimis honorari dignus sit. Nicom. l. 4. c. 7. *Qui igitur revera magnanimus est, eundem & bonum esse oportet.* Id Nævianus ille sensit Hector,

Cic. Tusc. 4. *Lætus sum*
Laudari me abs te, pater, laudato Viro.

5. Neque tamen bonorum laudes ambit, Veritatis & officii, quam famæ, rationem habens majorem. Quare si sua benè gestis laus negetur, non stomachatur. Cætera huc pertinentia videsis suprà, ubi de Modestia. 6. Gravitate cum Viris magnis hactenus ita certat, ut ne vanam gloriolam captare, sed verò dignitatem servare suam videri velit, cum inferioribus contendere se indignum reputans. 7. Honores vulgi, imperitorum & improborum contemnit: neque si universa multitudo, majorve ejus pars in unum honoribus cumulandum consentiat, eam benevolentiam alia de causâ sibi gratulatur, quàm quia consiliis & sermonibus ipsius authoritatem conciliat, & ad res magnas præclarè gerendas auxilio, & adversus pericula præsidio esse potest. Unde quæ ad benevolentiam civium parandam pertinere videntur, ita curæ habet, ut

vulgi

vulgi tamen & improborum sermonibus honestatem atque utilitatem publicam nunquam non anteponat, exemplô ejus, qui juxta Ennium,

Unus cunctando Romanam restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

8. Quapropter etiam vulgaria convitia & maledicta sperruit, quippe *quæ*, ut Tacitus ait, *spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur*: satis habens, ipso contemptu, vel ubi consultum videbitur, etiam beneficiis, iniquè dicta factaque vindicâsse. Aristot. Magnanimum rectè negat esse *μνησίκακον injuriarum memorem*. Calumnias interim, quæ famam lædere & fidem apud homines non improbos invenire queant, verbis & factis refellit. 9. Magistratum & Imperia nonnunquam ambire, aut oblata amplecti, non alienum est à Magnanimo. Utrumque ergò pro re nata faciet, ut ne desint magnarum rerum gerendarum occasiones, utque cum universis in publicum, tùm præcipuè Viris bonis præsidio esse queat, ipsemet etiam adversus injurias authoritate sua munitior futurus. Cæterùm in Magistratu gerendo nec honoribus oblatis effertur, nec eorundem cupiditate transversus agitur; nec Principatum affectat, quod vitium aliàs Magnis facilè innascitur; nec lucripeta factus corrumpi, nec denique labore ullo vel periculo à studio commodisque Reip. avocari se patitur. 10. Accedit & illud, quòd Magnanimus *vivere ad alterius arbitrium non possit, nisi ad amici*, adde, & legis: *est enim servile. Unde etiam omnes adulatores famulares & humiles.* Plura si lubet vide apud Aristotelem in loco citato. Ubi tamen cautè inter ea quæ Magnanimitatis & *φιλαυτίας* sunt, discernendum est. Nicom. l.4.c.8.

2. His contraria faciunt & *audacter insolens* & *pusillanimis*: quæ ex analogia eorum, quæ suô locô

de oppositis Modestiæ & Fortitudinis nobis dicta fuere, satis utique intelliguntur. Id modò tenendum; Opposita Magnanimitatis ab Oppositis Modestiæ & Fortitudinis gradu differre. Heic enim ex adverso vicissim peccant, & qui ad honores magnos è magnis & arduis grassatur, & qui, cùm pro vitæ conditione & dignitatis loco magna audere deberet, præut æquitas postulat, animô est abjectô.

§. 3.

Æquabilitas est, quâ veri & honesti amans ita sibi constat, ut nec lætis insolescens, nec adversis dejectus ab officio deflectat.

Ei opponuntur in Excessu Rigor animi; in Defectu Inconstantia.

EXPL.

1. Aliud est, sibi constare; aliud esse ἀπαθῆ. Illud Viro bono datum: hoc cunctis mortalibus negatum est. Hic igitur promittere, quàm præstare facilius est Stoæ: cujus suo de Sapiente inanis est gloriatio; *Talem esse Sapientis animum, qualis est Mundus super lunam: ubi semper serenum.* Unde etiam Lucan. de Sapiente; (*Seneca Ep. 59.*)

Perpetuum nulla temeratus nube serenum.

2. Quia Virtutis cultor passiones non expellit, nec focillat, sed hactenus susque deque habet, ut earum intuitu atque ductu nec faciat; nec omittat quicquam, hunc demùm dicimus Æquabilem sibique constantem, qui rebus in adversis nec mœrore tabescit, nec timore frangitur: rursusque in prosperis nec alacritate futili gestiens deliquescit, nec sitienter

tienter quid appetens desideriô ardet, neque adeò ab officii tramite deflectit.

3. Æquabilem hunc animi tenorem præstat amor Veritatis ejus, quæ docet 1. Quid tui, quid mei sit officii. 2. Res sive prosperas sive adversas divina manu, sapientissima ratione dispensari. 3. Rebus externis nec beatitudinem propriè, nec miseriam animi veram esse metiendam, ac proin ex sensu vel affectu de neutra judicandum. 4. Æquabilitati in excessu oppositum damus *Rigorem*: quo sensu Plinius, postquam Socratem clarum sapientiâ eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis aut turbato dixisset, *exit*, inquit, *hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectusque humanos adimit, quales apathes Græci vocant, multos ejus generis experti: quodque mirum sit, auctores maximè sapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem: hunc quidem etiam in totius odium generis humani evectum.* Nat. Hist. l. VII. c. 19. Inconstantia ab Æquabilitate deficiens vitium est plus nimis familiare plerorumque omnium, qui sibi *ut res dant sese, ita magni atque humiles sunt.* Si quid in cultu corporis minus æquabile & insolens occurrat, illicò censorem feret. Levitas & inconstantia animi vulgò non perinde notabilis esse solet, atque frequens est. Scitè Poëta;

Si curtatus inæquali tonsore capillos Hor. Ep. l. I.
Occurri, rides: si fortè subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum?
Quod petiit, spernit: repetit quod nuper omisit?
Æstuat & vitæ disconvenit ordine toto?

§. 4.

Αὐτάρκεια est, per quam Veritatis amans sua sorte, sive præsentibus, contentus est.
Ei adversatur πλεονεξία sive plura, quàm necesse sit, habendi studium.

EXPL.

I. ET hunc animi habitum conciliat amor Veritatis, cùm ejus, de qua suprà, ubi de Frugalitate; tùm ejus, quâ docemur 1. Nihil nos, quoad hanc vivimus vitam, habere posse, nisi quô utimur: omnia supervacua esse ἀλλότρια, saltem non nostra. Neque enim vita juvatur ex eo, quod quis plus in bonis habeat, quàm satis sit ad naturæ desideria. Rectè Poëta;

Horat. Serm. l. 1. 1.

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus, quàm meus: ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Fortè vehas humero, nihilo plus accipias quàm
Qui nil portârit. &c.

2. Piorum est, hospites se in Mundo & inquilinos reputare. Ergò viaticô contenti thesauris non inhiant. Et verissimè istuc dictum ab homine Philosopho; *Peregrinatio in victu acquiescentiam docet. Nam Maza & Stibadium famis & lassitudinis suavissima sunt remedia.*

Democrit. apud Stob. περὶ ξένης.

II. Positam Αὐταρκείας descriptionem Gentium Apostolus suppeditat, & argumentô atque exemplô suôpte firmat. *Mores sint absque avaritia: contenti estote præsentibus. Quæstus est magnus pietas cum acquiescentia.* Quidni verò? Id enim est *ditescere in Deum*: & nullius rei indigere. *Nihil enim intu-*

Heb. 13. 5.
Luc. 12. 21.

intulimus in Mundum: manifestum est, quòd neque efferre quicquam possimus. Habentes autem unde alamur & tegamur, his contenti erimus. Hinc Apostolus & hoc divini muneris habere se dicit, atque exercitatione didicisse, quòd in penuria & abundantia rectè & commodè se gerere possit. *Novi humiliari, novi & abundare*, in rebus exiguis patienter me gerere, paupertatemque commodè ferre: & rursus rebus abundantibus cum modo uti: *in omni & in omnibus*, omni tempore & inter omnes homines, *initiatus*, doctus & assuetus sum & *satiari & esurire*, ex magna rerum copia sumere, quantum satis est: & rursum non tenuiter tantùm pasci, sed & famem æquô animô pati. *Non ignara mali miseris succurrere disco*, inquit illa apud Maronem. Ita Apostolus profitetur, se jam doctum esse aptè utramque ferre fortunam, quâ semper variante statum ipsius interpolare divinæ visum fuerit Providentiæ.

1. Tim. 6:6.7.8.

Phil. 4: 12.

III. Αὐταρκείας officia hîc paulò distinctiùs notâsse juvabit. Qualia sunt

1. Quæ vitæ & valetudini tuendæ conveniunt ita ex facili desinire, ut iis quæ divina Benignitas largitur, & provida pii Patris familias cura atque industria comparat, velis esse contentus, memor illius; *Melius est parum cum timore Jehovæ, quàm thesaurus amplus, in quo est turba.* Item, *Melius est parum cum justitia, quàm copia proventuum cum violatione judicii*, vel, *ordinis.* Et illius, quod habet Poëta.

Prov. 15.16. & 16:8.

——— *Ne trepides in usum*
Poscentis ævi pauca. Et alibi;
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quàm si Mygdoniis regnum Halyattici
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Benè est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

2. Ani-

2. Animum ad quamvis fortunam ita aptare, ut
etiam egestatem patienter tolerare, & ex utroque
statu, quam quidem oportet, utilitatem capere
Rom. 5: queas, putà, ex penuria *experientiam & spem*: ex
3. abundantia verò fructum bonæ conscientiæ per villi-
Heb. 12: cationem fidelem: dum *uteris Mundo, ut ne abuta-*
11. 1. Cor. 7: *ris*, vel toto fruatis, tanquam satiari nescius.
31. 3. Confidere & persuasum habere, à Deo te nun-
quam iri desertum: *primò* interim, summoque stu-
dio, monitore Christo, *Regnum Dei, ejusque justi-*
tiam quærere. Qui sic est, reapse usurpare potest
illud; *Nil cùm est, nil deest tamen.*

Matt. 6. Ὀλιγοπιςία est, cùm in præsens habeas satis, fu-
31. turi incertitudine cruciari. Stulti vota sunt

Hor. ——————— *O si angulus ille*
Serm. *Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!*
lib. 2. *O si urnam argenti fors qua mihi monstret, ut illi,*
Sat. 6. *Thesauro invento qui mercenarius agrum*
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule?

4. Ad parandum, quæ vitæ non incommodè ac
sine dedecore traducendæ necessaria sunt, labori ho-
nesto incumbere, quatenus Regnum illud Dei ejus-
que justitiam quærendi studium permittit. Quis
porrò sit modus rei faciundæ, ex iis, quæ de Fru-
galitate superiùs dicta fuere, repetendum est.

IV. His contraria sunt *τῆς πλεονεξίας* studia. Ve-
rùm præter illa, quæ suô locô in Avarum dicta,
sufficiat nunc ipsi suggessisse triste illud carmen;
Luc. 12: *Quæ verò parâsti, cujus erunt?* Q. d. Non tibi cer-
20. tè, qui ista moriturus non auferes, sed alii usum
sui præstabunt. Non poterat efficaciùs derideri sto-
liditas avara, quæ conjunctam habet invidentiam,
quàm cùm ostenditur, eventurum, quod malorum
ipsi

ipsi maximum videtur, ut rebus ejus fruatur alius. Optimè Comicus;

Avarus, nisi cùm moritur, nihil rectè facit:

Fœdæ nimirum suis instar, cujus nulla pars ullum sui usum præbet, nisi post mortem. Is interim mortales plerosque omnes tenet affectus, ut rem quærendi & habendi modum non ex necessitate, sed sua cupiditate, definiant, vel ut verius dicam, rem quærendi nec modum nec finem faciant, sui amantes, Deo diffidentes, felicitatem è divitiarum affluentia æstimantes, verorum bonorum ignari atque securi.

Inde fit, ut rarò qui se vixisse beatum Hor.
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ Serm.
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus. l. 1. Sat. 1.

§. 5.

Mansuetudo amore veritatis iræ & vindictæ cupiditati talem ponit modum, ut earum intuitu vel impulsu Vir bonus nec agat, nec omittat quicquam.

Et opponuntur hinc Iracundia, Immanitas & Crudelitas; inde Lentitudo.

Expl.

1. Quod de aliis dictum est virtutibus, quibus pro materia exercitii affectus aliquis substerni videtur, idem etiam de mansuetudine notatum oportet. Nimirum eam propriè non in eo sitam esse, ut iram adhibito moderamine temperet, quod Peripateticis placet: nedum ut eandem penitus exterminet, quod Stoicis visum: verùm ut iram hactenus non curet, neque ejus intuitu vel faciat omittenda,

tenda, vel omittat facienda. Inde modus iræ, inde remedia. Cæterum de ira ejusque usu vide Patr. I. Aretol. cap. VII, §. 5.

II. Quòd mansuetus injurias fortiter fert, atque ab ira temperat, id verò amori debet Veritatis, tùm ejus, de qua suprà, ubi de Temperantia & Fortitud. quarum Virtutum proles quædam est mansuetudo: tùm ejus, quâ docemur

1. Affectum naturâ non datum esse homini viæ ducem, consilii & actionis authorem &c.

2. Nihil agendum, quo noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum.

3. In solo inimici dolore ex se spectato nullum esse bonum, nisi falsum & imaginarium. Unde
Hist. l. 3. c. 39. Tacitus *sævissimam* Vitellii *vocem* dixit, *Quâ se pavisse oculos spectata inimici morte jactavit.*

4. Ultionem proinde, quæ nihil nisi doloris lenimen intendit, non modò Christianis doctoribus,
Lib. 2. de Ira c. 32. sed & Philosophis meritò improbari. *Inhumanum verbum est*, inquit Sen. *& quidem pro justo receptum Ultio, & à contumelia non differt, nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantùm excusatiùs peccat.* Quare etiam quò minùs quisque valet rationis usu, hôc ad vindictam est proclivior. Unde illud Juvenalis;

——— *quippe minuti*
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio: continuò sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

5. Ultionem in societate civili non privati juris esse & arbitrii.

Sen. l. 2. de Ira c. 32. 6. Ad hanc porrò veniendum esse, *non quasi dulce sit vindicare sed quasi utile.*

III. Mansuetudo, quæ privatorum est, *Lenitas*; quæ virorum Principum, *Clementia*, vulgò appellatur. De hac præcipere ad Politicam pertinet. Quis modus

modus Judici sit servandus in pœnis remittendis, mitigandis, infligendis, opportuniùs edoceant, JCti. Vide si placet Lipsium Civ. Doctr. l. 2. c. 12. 13. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. Lenitatem quod attinet, ea cùm in *Superiores*, tùm in *Pares* servanda est.

Priori casu 1. Cavendum, ne si fortè superiores injuriam inferre cogitent, vi illis resistas: contrà id operam dabis, ut vel jure te tuearis, vel precibus injuriam avertas, vel fugâ aliave honesta arte declines, vel denique si hisce tentatis parùm aut nihil profeceris, injuriam patienter accipias & mussites, persuasus, extra officium esse tuum, velle, ubi nihil vales, *καὶ ζητεῖν τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις*, *postulare ea quæ fiunt arbitratu tuo fieri. Quia si sapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt.* (Epict. Ench. c. 13.) 2. Illatam injuriam cave vindices: satis habiturus, ubi damnum reparari, & de futura securitate tibi caveri postulaveris. 3. Non facilè irâ commovearis in Superiores. Eam cave sermonibus vel vultu, præ te feras: imaginem supremi Numinis in Principe, ut par est, reverituus. *Propter voluntatem Dei*, qui nos subesse vult, *Regem honorandum* & in pretio habendum esse, S. docet pagina. (1. Pet. 2: 13. 17.) Rectè Marcellus apud Tacitum, *se meminisse*, inquit, *temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi: bonos imperatores votò expetere, qualescunque tolerare.* (Hist. IV. 8.) Et quod Terentianus ille de parente, idem & de Rege intelligi convenit;

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.

Posteriori casu, ubi cum paribus tibi res fuerit, ne in Lenitatis præcepta pecces, Ante injuriam illatam momento, jure potiùs quàm vi agendum, legisque & fori præsidium, si res ita ferat, & aliter tuæ securitati consulere nequeas, implorandum, adversus

eum,

eum, qui injuriam intentat. Cautio tamen est, ne jamjam vicem tuam ultus videare, quando præter securitatem læsi & emendationem lædentis vito bono nihil hîc quærendum. Quòd si Magistratus opem implorare nec locus, nec tempus permittat, & injuria, quàm alter meditatur, sit intolerabilis, servato, quod vocant, moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellere licet. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.* Post injuriam acceptam damni reparationem etiam in foro, ubi aliter jus tuum consequi non possis, requirere licet, dummodo id caveas, ne *læso doloris remedium sit inimici dolor.* Pœnam verò læsus postulare aliter non potes, nisi tùm securitatis quà publicæ, quà privatæ; tùm ejus qui deliquit emendandi gratiâ. *Hoc semper*, inquit Seneca, *in omni animadversione servabit*, (judex) *ut sciat, alteram adhiberi, ut emendet malos: alteram, ut tollat. In utroque non præterita, sed futura intuebitur.* Et alibi; *Hôc uno medentibus, erit dissimilis, quòd illi quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant: hic damnatum cum dedecore & traductione vitâ exigit: non quia delectetur ullius pœnâ (procul est enim à sapiente tàm inhumana feritas) sed ut documentum omnium sint; & qui vivi noluerunt prodesse, morte certè eorum Resp. utatur.* Atque hæc quidem omnia mansueti animi officia sunt. Objicietur, Lenitatem hac ratione referri ad officia Virtutis, quæ in alios veriùs, quàm nos ipsos, respiciunt: Respondeo; Distingui oportere habitum animi & actiones indidem proficiscentes. Quia enim homines, ratione præditi, hoc ipsum nobis debemus, ut consilii & actionis nostræ ducem atque authorem sequamur rationem probè informatam, non affectum diversè trahentem, etiam ad officia virtutis in

Cic. pro Milone.

Lib. 1. de Ira cap. 16.

Lib. 1. de Ira cap. 6.

in nos respicientia pertinet, animum sic componere, ut obsequentem superioribus, commodumque omnibus te præbeas. Quæ quidem præcipua mansuetudinis laus est.

IV. Ira affectus est maximè ex omnibus tæter & rabidus. Unde *brevis insania* dici consuevit Sapientibus. Suî enim ferè est impotens, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum æqui verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod appressere, franguntur. Id arguunt communia ferè irascentium & furentium signa; audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria, parùm explanatis vocibus sermo præruptus &c. Non ineptè Aristot. iram præproperis famulis assimilat, qui ad mandata herorum exequenda prosiliunt, priusquàm quid ferant, rectè exaudiverint. Itemque canibus pulsatô ostiô latrantibus, antequam inspexerint, amicus adsit an inimicus. Quapropter non intempestivum fuerit docere paucis, quemadmodum possit ira leniri; quam in rem profuerit, sequentia sibi familiaria reddidisse præcepta. *Nicom. l.7.c.7.*

1. Animum probè imbutum oportet præceptis de Veritate illa, quæ Temperantiam, Fortitudinem & ex utraque nascentem instruit mansuetudinem.

2. Id tecum frequenter reputato, quoties & quanta tu-te ipse in Deum deliqueris, quorum quidem veniam tibi fieri velis. Indignus verò es, cui delictorum gratia fiat à Deo, qui eam homini offendenti facere recusas.

3. Reputato, numquid non similiter & sæpè in alios deliqueris, vel delinquere possis. Imbecillitatis igitur tuæ conscius noli tantoperè sævire

in alios: æquum utique est, qui tibi velis ignosci, etiam aliis ignoscas.

4. Dum animô es pacatô, haud indiligenter reputabis iræ fœditatem, & gravissima quæ inde ad nos aliosque redeunt incommoda. *Necessarium est*, inquit Sen. *ante oculos ponere, quantum monstri sit, homo in hominem furens; quantoque impetu ruat, non sine pernicie sua perniciosus, & ea deprimens, quæ mergi nisi cum mergente non possunt* &c.

Lib. 3. de Ira. c. 3.

5. Considerabis quàm sæpè & nobis & aliis profuerit ignovisse potiùs quàm vindicâsse offensas. Ut verè inverti possit tritum illud; *Veterem ferendo injuriam* Vitas, non *invitas, novam*.

6. Cogita levitatem causarum, quæ sæpè nobis stomachum movent: frivolis & inanibus turbamur. *Taurum*, inquit Sen. *color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos leonesque mappa proritat: omnia, quæ naturâ fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Idem inquietis ac stolidis ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur*.

7. Cave, externorum bonorum quicquam nimioperè appetas, speres, ames, retinere cupias. Si quid ægritudinis obortum est animo, ut multa fert hujusmodi vita mortalium, fac protinus ejicias ex animo; cave quicquam offensæ inibi residere patiatis: si mederi queas, medere: sin minùs, cogita; Quid proderit me ringi, re nihilô meliùs habitura? Da operam, ut hoc mox impetret abs te ratio, quod paulò post tempus esset impetraturum. Nullus sit tantus animi dolor, quem patiaris tecum ire cubitum. *Irascimini, & ne peccate: Sol ne occidat super exacerbatione vestra*.

Eph. 4. 26.

8. Tibi, ut irarum occasiones, itidem & contentiosi, morosi, superbi, agrestes &c. cautè fugiendi sunt.

9. Averte cogitationem â causa iræ, ne nisi amore veritatis ad castigandum, & omninò ad loquendum,

dum, faciendumve quicquam accedas. *Ad pœnitendum properat, qui iratus quid facit.* Verissimè Apostolus; *Ira*, inquit, *viri justitiam Dei non operatur.* Homo, etsi vir fuerit, id est sapiens & potens, si incitatus libidine ἀδιλιομήτοις, iræ frænos laxet, fieri nequit, ut verum cernat, idque rectè dijudicet, & quod justitiæ divinæ legis atque officio hominis sit consentaneum, faciat & loquatur. *Maximum remedium est iræ, mora. Nec ab illa pete initio, ut ignoscat, sed ut judicet. Desinet, si exspectat.* Quò tendit etiam illud Poëtæ;

Jac. 1. 20.

Sen. l. 2. de Ira c. 28.

——— *Ne fræna animo permitte calenti,*
Da spatium, tenuemque moram: mala cuncta ministrat
Impetus.

Octavio Aug. Imperatori Athenodorus Philos. suasit, ne iratus quid diceret aut faceret priusquàm Græcarum literarum 24 nomina apud se recensuisset. Scil. hoc instar quoddam exercitationis est.

10. Ut lenitati sensim assuescas, circumstantias causarum iræ, personarum, modi & temporis, frequenter animo revolvas: ut hac ipsa meditatione Veritatis amorem, quô unô vera virtus constat, sustinere queas.

V. Iracundus iræ quidem modum excedit, non observatô, *cui*, *in quid*, *quamobrem*, *quamdiu*, *quô modô*, *locô & tempore* irasci conveniat: sed à mansuetudine eô ipsô deficit. Iracundorum gradus quatuor distinguit Aristoteles. Primos communi nomine *Iracundos* vocat. Alteros ἀκροχόλους, qui celerrimè & acerrimè inardescunt, ita citò defervescunt. Tertios πικρὰς *acerbos*, qui plumbeas gerunt iras, tantùm non implacabiles: quales sunt, qui non contenti, animo, quas sibi illatas putant injurias, infixisse, chartis insuper inscribunt, ut

earundem, ubi casus tulerit, relectione memoriam revocent, & cicatricem vulneri obductam refricent, odium, quò in proximum æstuant, non nisi cum ipsa anima evomituri. Quartos denique *χαλεποὺς difficiles* dicit, seu *ἀγρίους feros*, *sævos* atque *immanes*, quæ priores illi singula habent, universa quasi in unum conflata pravo suo more exprimentes. Horum omnium ingenia nôsse, ad usum vitæ civilis non parùm habet momenti. Cæterùm Iracundia, hic quidem non tàm ut affectus, quàm ut habitus, spectata, ubi vires non desunt, sæpè in crudelitatem & immanitatem abit.

VI. Alterum vitium Mansuetudini opponendum, vulgò sua fortè raritate nomen non invenit. Aristoteli *ἀοργησίᾳ* quasi *iræ vacuitas*, nobis *Lentitudo* dicitur, quæ nimia est mansuetudo. Quia enim iræ suum esse usum vidimus, etsi in genere morum neque bona sit, neque mala; vitiô certè non caret is, cui lentiùs, quàm virum honesti amantem decet, animus attollitur, neque adeò magnoperè curæ est, ut castigatione flagitia reprimantur, injuriæ, quantum jure atque officio fieri potest & debet, depellantur, res denique præclaræ quarum executio hunc animi ardorem postulat, strenuè gerantur. Certè Servator noster, cùm jacturam hujusce vitæ dolentes, & de meliore non cogitantes, vidisset, *infremuisse seque commovisse* dicitur.
Joh. 11: 33.

CAP.

CAP. IX.

De Justitia & Æquitate.

§. 1.

Officia Virtutis, quæ in alios respiciunt, commune nomen Æquitatis complectitur.
Virtutis est, hominem quemlibet alium æquali secum loco dignari atque habere. Id verò facere ex amore veritatis, Æquitas est.
Vitia Æquitati opposita sunt, Iniquitas, in defectu & Amor perditus, in excessu.

E x p l.

1. DIcenda sequuntur officia virtutis, quæ in quoslibet alios respiciunt. Ea Apostolus phrasi *δικαίως ζῆν* expressit: nos communi æquitatis nomine (*δίκαιον* enim justum & æquum est) comprehendimus. Æquitas, quoslibet alios æquali nobiscum loco habens & amplectens, ex re ipsa nomen accipit.

II. Veritas porrò cujus amor æquitatis studium animo inserit, his præceptis summatim continetur.

1. Natura homines hactenus fecit pares. Hinc *Exod.*
Scriptura S. non modò *proximum*, sed etiam *socium* 20: 16.
& *amicum*, imò *carnem nostram*, appellare amat *Lev.* 19:
quemvis alterum hominem: utpote quem vel ea 18.
communi appellatione affectui & studio nostro commen- *Esai.* 58:
datum vult. 7.
Rom. 13:
8.

2. Quisque igitur alterum quemque æstimet atque tractet, tanquam naturâ sibi æqualem, seu æ-

que hominem, imò verò, ceu alterum seipsum: attentô, non esse nisi peccatum, quod in homine contemni mereatur.

3. Et ne quis, nisi cui jus peculiare quæsitum, plus sibi, quàm cæteris arroget, verùm alios æquo secum jure frui permittat. Quod igitur, cæteris paribus, quisque sibi juris vult esse in alterum, tantundem alteri patiatur esse in se. Ergò, exempli causâ, quisquis loqui parat, audienti suam judicandi libertatem relinquat, neque ejus usum verbis fallacibus, vel mendaciis, intercipiat aut deludat.

4. Quod quisque sibi bonum præstari optet, datis his, illis, circumstantiis; idem & alteri præstet in eisdem vel similibus circumstantiis. Et quod sibi malum fieri nolit, alteri ne fecerit ipse. Utrumque verò, quoad ejus fieri potest, servandum citra tertii injuriam.

5. Alterum quemvis unà nobiscum eundem intendere finem, idem quærere bonum, ejusdem Creatoris ad gloriam vivere oportet.

6. Cujusque igitur est, societatem cum aliis colere religiosam & civilem, nec non quæ illi conservandæ inserviunt, facere; quæ rursus turbant vel interrumpunt eandem, cautè vitare.

7. Quicquid suo quisque proximo debet, ad officia communia & singularia, quibus perinde ac nos tenetur, referendum est: omne consilium & auxilium, quô proximus juvari potest, eò spectet, ut suo satis faciat officio. Quapropter non solùm servile prorsus, sed & turpissimum est, proximo blandiri in peccatis, ejus libidini & oblectamentis servire; eumve facere ministrum impuræ voluptatis suæ.

8. Jubet ergò Æquitas, ut quia proximus unà nobiscum ad gloriam Creatoris vivere, & hîc, donec à Deo revocetur, manere tenetur, ei in persolvendo

vendo hocce debito opitulemur. Ergò, si in aquas inciderit, servemus: si in morbum, sanemus: si unde vivat non superest, suppeditemus: de conditione vitæ amplectenda moneamus, suadeamus, juvemus &c. Denique operam demus, ut quem nobiscum intendere finem, quod quærere bonum, jubetur, imperturbata alacritate & inoffenso studiô consequi possit.

III. Atque hinc liquet, quamobrem Scriptura S. omnia quæ proximo debemus, *Charitatis* nomine, & præcepto *diligendi proximum sicut seipsum*, velut compendio saltem posterioris tabulæ legis, inclusa velit. Quid verò sibi vult verbum, *diliges proximum sicut teipsum?* Respondeo: 1. Modum atque mensuram amoris, quo proximum amplexuri, facies amorem tui. Mutatâ igitur personâ, exemplum amandi proximum statues identidem in te ipso, sic reputando apud animum, proximum tuô levare potes consiliô, auxiliô &c. quid fieri velis, si tu hic sis? Proximus abs te petit, hôc illôve locô haberi: cogita, si tu hic sis, &c. 2. Proinde ut, quod te æquum est facere, præstes, proximum noli considerare, ut alienum à te; sed ut alterum teipsum, ut carnem tuam, ut rem Dei. Neque tamen inde sequitur, nullos fore amoris gradus, ut promiscuè omnes eodem amore, quô nos ipsi prosequimur, quique non nisi unus est, complecti debeamus. Si enim quâ dixi ratione proximum non alienum à te reputans, ejus subeas locum, salvum manebit discrimen amoris & loci, quem quisque obtinet. Quia si pater ex. gr. veniat amandus, si frater, si vicinus, si alienigena &c. cogitabis, quid tute fieri velis, si hic sis? quô cupias tractari modô, si tu ejus sis locô?

IV. Quòd si occurrat casus, quô aut nos nostro, aut proximus ille suo satis non possit facere officio, illi potiùs rei, quam nostra fert obligatio, vacabimus.

mus. Ut si unà ambo in vitæ discrimen incidamus, habeamque satis, quod pro me agam, hactenus illum deseram; non, quia charitas à me ipso incipiat, aut mei amori atque studio, quàm alterius, plus debeam, quod perversum vulgi judicium est, meram arguens φιλαυτίαν: sed quia ad exequendum, quod meæ obligationis onus est, magis abstringor. Idem enim pluribus injunctum pro se quisque exequi magis tenetur, quàm socium in exequendo juvare.

V. Ex dictis porrò patescit. 1. Cum Æquitate, etsi homines supponat naturâ pares, quales in *statu libertatis naturalis* esse dicuntur Politicis, non tamen pugnare officia illa, quæ *status* aliquis *adventitius*, ex facto quopiam hominis antecedente pendens, imponit. Quò pertinent status conjugalis, Herilis, Civilis &c. & Officia Conjugum, herorum, liberorum, servorum; principum, subditorum. Attende modò, si placet, quæ paulò antè sub finem n. III. dicta. 2. Quæ Æquitatis generaliter sic dictæ sint officia. De quibus tamen ampliùs constabit ex ejus speciebus mox exponendis.

VI. *Iniquitas* ab æquitate deficit, proximum nullô, vel deteriore locô & numerô habens. Sic iniquus, qui suo tantùm affectui obsequens, omnia ad se & sua commoda refert. *Amor perditus* æquitatem excedit. Sic perditè amat, qui alterius voluptati inservit, vel eôdem, reve ejus ad voluptatem mutuam quoquô modô abutitur, atque adeò seipsum unà cum proximo, quem odisse veriùs quam amare dicendus est, malè perditum it. Quæ omnia è dictis facilè intelliguntur.

§. 2.

§. 2.

Æquitas illa generalis dividitur in Justitiam, & Æquitatem strictè dictam.
Justitia amore veritatis suum cuique tribuit.

Expl.

I. Ratio dividendi Æquitatem illam generalem in *Justitiam*, particularem, puta, non cardinalem illam; quæ virtutis proprietas est, & *Æquitatem* stricto significatu dictam, in eo sita est; quòd proximo tribuimus, vel quod *stricto jure* illi debetur, secluso favore: ut si locatori operæ suæ, pactam mercedem; si venditori rei suæ, pretium persolvamus: si rerum contractarum fidem impleamus, nihil tribuentes favori. Vel ex *æquo & bono* tribui par est: Ut si homini industriam suam nobis probanti, & opus, de quo convenerat, diligenter absolventi, aliquid adjiciamus ultra mercedem, quam fuerat licitatus: in quo favor aliquis ac gratia elucet. Atque illud quidem justitiæ, hoc verò æquitatis proprium est.

II. Justitia *amore veritatis* suum cuique tribuit. Quò ipsò ostenditur, justum non esse, qui quandoque justa facit, metu fortè pœnarum, vel spe commodi, vel amicorum gratiâ, vel simili quapiam ratione inductus. Verissimum est illud Philemonis, *Non justus illicò quisquis injuriâ abstinet, sed qui nocere cùm possit, abstinet. Nec qui recusat parva, sed qui maximis tentatus, animi robur invictum gerit. Nec quisquis illa quòlibet præstat modò: sed qui dolosi nescius fuci, integra probitate, justus esse, non videri, studet.* Justus igitur perhibendus, qui justa facit amore veritatis, seu amore præcepti le- *Apud Stob. Serm. IX.*

 gis,

gis, injusta non nisi per infirmitatem. Planè ad mentem nostram Comicus; *Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.* Unde vulgò JCtis Justitia dicitur, *constans voluntas suum cuique tribuendi.*

III. Veritas autem præcipua, cujus amore suum cuique tribuitur, hæc est; *Deus summus rerum, quippe suarum, arbiter, & dominiorum distributor, quemlibet possidere vult, quod suum*, hoc est, bona fide & justô titulô quæsitum est. Ergò qui alterum re sua fraudat, sive palàm, sive clàm, sive vi, sive specie juris, in jus Dei involat, rerum sese dominum & distribuendorum dominiorum arbitrum
Prov. 30: 9. constituens. Unde qui furatur, *nomen Dei attrectare* dicitur. Quô ipsô præceptum de non furando juris perpetui & indemutabilis esse cognoscitur.

IV. *Suum* vocamus, quod JCtis est *jus strictè dictum*, sive *facultas* habendi quid, vel agendi. Sic
L. 27. §. 2. ff. de aur. arg. *suum, quod vindicari potest.* Sic, suum cuique tribuere: suum recipere: suum consequi. Sua tutela, suus hæres, passim in juris præceptis. Illa porrò facultas duplex est: vel *Vulgaris*, quæ usus particularis causâ comparata est, qualis illa privatorum in bonis suis: vel *Eminens*, quæ Communitati competit in partes, & res partium, boni communis causâ. De quibus Jurisconsulti.

§. 3.

§. 3.

Justitia vel Expletrix est, vel Attributrix.
Illa cuique tribuit vel permittit, quod habendi vel agendi jus strictè dictum habet.
Hæc cuique tribuit, quod habere dignus est.
Illi opponitur Injustitia Lædens; huic, Deserens.

EXPL.

1. Justitia Expletrix dicitur eo significatu, quô Latinis *Explere* nonnunquam est *pensare*, *satisfacere*. Sic Justinus, *Explent*, inquit, *contumelias* Lib.V. *honoribus*, *detrimenta muneribus*, *execrationes preci-* c. 4. *bus*. Dicitur Aristoteli συναλλακτικὴ vulgò *Commutativa*. Hæc jus strictè dictum, sive facultatem, respicit, unde & propriè aut strictè justitiæ nomen obtinet. *Attributrix*, Aristoteli διανεμητικὴ, vulgò *Distributiva*, ἀξίαν dignitatem, sive meritum, spectat. Quo sensu Cæsar Dictator apud Sueton. *Commendo*, inquit, *vobis illum & illum*, *ut vestrô* Jul. 41. *suffragiô suam dignitatem teneant*.

2. Differunt igitur Justitia *Expletrix* & *Attributrix* materiâ, circa quam versantur. Utraque verò quorumvis est in quosvis. Etenim & Civitas, quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, ut illi apud Livium, nonnisi Liv. lib. Expletricis Justitiæ officiô fungitur. Et si quis de re 31. c. 13. sua legare velit, attributrice justitiâ uti solet. Sic in pœnis, quarum jus penes Summos est Imperantes, primò ac per se exerceri justitiam expletricem non obscurum est attendenti. Unde qui deliquit pœnam debere, & dare, dicitur.

3. Justitia *Expletrix* suum cuique jus explet, servans ubique, quam natura imperat, æqualitatem, ita quidem, ut ex æqualitate jus oriatur minus habenti.

benti. Id quod in contractibus & rerum commutatione maximè obvium est. Unde facta à potiori denominatione, vulgò *commutativa* vel *contractoria* dicta videtur. Æqualitas illa partim consistit in *actibus* contrahentium; partim *in eo de quo agitur*. In *actibus* cùm *præcedaneis*; putà in intellectu, ut gnarus uterque vitii sit & commodi rerum, de quibus contrahitur; & in voluntatis usu, quantum ad consensûs causam: tùm *principalibus*, ut ne plus exigatur quàm par est. Rectè Chrysost. *Quoties, inquit, in contractibus, & ubi emendum quid aut expendendum est, contendimus omnique modo laboramus, ut minus æquo pretio demus, nonne hinc facto quoddam inest furtum?* Æqualitas denique *in eo de quo agitur* hæc servanda est; ut etsi contrahentium neutri animus fuerit fallendi alterum, tamen ubi contigit alterutrum mactari infortunio, inæquabilitate in rebus ipsis deprehensâ, ex vitio fortè latente, vel errore pretii, ea inæqualitas sit resarcienda, & demendum ei, qui plus habet, reddendumque minus habenti. Hæc autem æqualitas ut in contractibus commutatoriis & onerosis omnimoda, sic in beneficiis pro rei natura hactenus obtinere debet, ut ne quis ex beneficio damnum sentiat. Ergò Mandatarium indemnem præstari æquum est à sumptibus factis, & damno, in quod ex causâ rei mandatæ incidit, &c.

4. *Attributrix* Justitia dignitatem & merita prosequitur personarum, quibus tamen jus strictè dictum in re quæsitum non est. Velut si digno decernatur Provincia. Si Victori triumphus &c. Prudenter Cicero; *Sed si contentio quædam & comparatio fiat; quibus plurimum tribuendum officii, principes sunt, patria, & parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus; proximi liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps benè convenientes propinqui, quibuscum*

De Offic. 1.

busvis etiam communis plerumque fortuna est: quamobrem necessaria præsidia vitæ debentur iis maximè, quos antè dixi. Vita autem victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maximè.

5. In Scholis Peripatet. tralatitium est Justitiæ *Commutativæ* & *Distributivæ* discrimen duplex: quando 1. *Illam* circa res singulorum: *hanc* verò circa res communes versari. 2. Deinde ab *illa* proportionem Arithmeticam, ab *hac* Geometricam respici volunt. Quæ ut intelligantur, paucis explicanda sunt. *Proportio Arithmetica* est comparata æqualitas differentiæ inter terminos ternos vel quaternos, prout continua vel discreta fuerit proportio. Ex. gr. ∺ 3. 7. 11. vel 3. 7 :: 8. 12. differentia utrobique est quaternarii. *Proportio Geometr.* est comparata æqualitas rationis, ita ut tertius intelligatur toties continere quartum, vel ab ipso contineri, quoties primus continet secundum, vel ab eo continetur. Ut in 4. 2 :: 6. 3. vel 2. 4 :: 3. 6. aut si continua fuerit proportio, toties secundus contineat tertium, quoties primus secundum &c. ut ∺ 8. 4. 2. Has proportiones instituto suo sic accommodant: ut Arithmeticam servari velint in Justitia Commutat. quippe quæ simpliciter rerum commutandarum æqualitatem spectet, non attenta personarum qualitate vel dignitate. Unde quemadmodum in Proport. Arithmetica, ut augeatur terminorum quantitas, servata eadem proportione, inæquabilibus æqualia tribuuntur, ex. gr. 2. 4 :: 6. 8. adjecta singulis terminis unitate, manebit eadem proportio, 3. 5 :: 7. 9. Sic justitia commutativa inæqualibus personis æqualia tribuit, ratione habita rei ad rem, pretii ad pretium, rei ad pretium. Proportionis Geometricæ usum esse volunt in Justitia Distributiva, quippe quæ æqualitatem rerum attendat non omnimodam, sed ad personas relatam: ita quidem, ut

ut qualis est persona ad personam, velut Ajax ad Achillem, talis sit honor ad honorem. Item si quæ in præda sunt, bello capta, militibus dividuntur ratione meritorum, quemadmodum est Centurio ad Decurionem, & hic ad gregarium militem: sic est pars de præda, quæ illi, ad partem, quæ isti &c. cedit. Ergò sicut proportione manente terminorum quantitas augetur inæqualibus inæqualia tribuendo, ex. gr. 2. 4 :: 3. 6. multiplicatione facta inde per binarium hinc per ternarium, eadem erit proportio 4. 8 :: 9. 18. Sic etiam Justitia distributiva inæqualibus inæqualia tribuit.

6. Interim ut hæc Veri speciem habeant, certè tamen per omnia nobis probari non possunt. 1. Etenim Justitiam distributivam circa res communes, Commutativam circa res singulorum versari, perpetuum non est, ut suprà ostensum. 2. Quòd de proportionum usu dicunt, ex eorum genere est, quæ sæpè locum habent, non semper. Itaque & contractus societatis, qui ad justitiam commut. pertinet, expletur proportione nunc Arithmetica, nunc Geometrica, pro ratione partium, quas socii contulerint. Fac quatuor iniisse societatem: primum contulisse 200. secundum 400. tertium 600. quartum 800. Quia collatio sequitur proportionem Arithmeticam, eandem sequetur & lucri partitio. Quòd si primus contulisset 20. secundus 40. tertius 80. & quartus 160. Divisio lucri fieret proportione Geometrica. 3. Justitiæ συναλλακτικῆς nomen nimis est arctum. Ut possessor meæ rei, eam mihi reddat, non est ex commutatione, nihilominùs ad eandem hanc justitiam pertinet. Neque incommodum hoc excusari meretur insolenti distinctione, qua Aristoteles Contractus alios *voluntarios* facit, alios *involuntarios*, & hos vel *clandestinos*, vel *violentos*. Neque enim hi clandestini & violenti cum illis *Quasi Contractibus*, quos vocant JCti, conferri

Nic.l.5. c. 5.

ferri possunt. Etenim *Quasi contractum* facit causa sine conventione, ubi abest delictum, ut in *negotiorum gestione*, *tutela*, *re communi sine tuita societate* &c. Id quod de furto, adulterio, veneficio &c. dici nequit. In his quidem injuria est, unde inæqualitas existit; sed hanc explens justitia veriùs & simpliciùs *Expletrix* quàm *contractoria* vel commutativa, appellatur.

7. Justitiæ Expletrici opponitur *Injustitia lædens*: quo nomine omne genus injuriarum comprehenditur. Injuria porrò committitur vel *dolô malô*, vel *vi aperta*. Dolus malus est, quando illicitis modis alius inducitur, ut faciat, vel fieri patiatur non invitus, quod re cognita factum nollet; ut inde sua lædenti malitia fit lucrosa, læso autem sua simplicitas damnosa. Dolo malo proxima est *lata culpa*, quæ supina & affectata est negligentia in rebus alterius nostræ curæ demandatis: qualis est ejus, qui vel ignorat, quod nemo non intelligit; vel in re aliena saltem non solitâ versatur diligentiâ. Sic dolô facere censeretur depositarius, qui cistellam cimelia habentem, vel incustoditam, vel reclusam esse pateretur. Injuria, quæ vi aperta committitur, fit effossione, manuum injectione, gladiatoria invasione &c. de quibus JCti, & Casuistæ.

8. Justitiæ Attributrici opponitur Injustitia deserens: quo nomine venit neglectus omnium officiorum, quæ justitia attributrix cuique pro statu suo atque vitæ instituto imponit. In hanc partem peccant, ex. causâ, qui honores & munera publica indignis deferunt: qui egenos per immisericordiam sua ope destituunt &c.

§. 4.

§. 4.

Æquitate strictè dicta significamus studium illud favoris, quo in odiosis quidem intra juris ἀκρίβειαν consistimus: in favorabilibus ultra juris terminos progressi gratiæ nonnihil tribuimus.

E x p l.

1. Intra juris rigorem subsisto, si quod meo jure in alterum possem, non agam: si jus meum non persequar. Ultra juris terminos progressus id favori tribuo, quòd v. c. operam fideliter præstitam cumulatè penso: quòd ad rem tanti emptam, quanti esse etiam justus quisque judicet, auctarium adjicio.

2. Non nescio Æquitatis nomen diversa significare Authoribus: videntur tamen significatus illi aliquid habere commune, velut, quod juris temperamentum & favorem quendam generis nostri inferunt. Sic Judices ex æquo & bono causam definire dicuntur, juri, inflexibilia exigenti, in gratiam rei temperamentum adhibentes. Privati æquitate rei utuntur, quando de jure suo remittunt. Ex æquo & bono judicium fit, quando lege civili non extante, vel legis extantis ἀκριβείᾳ non attentâ, virorum bonorum arbitriô sententia fertur.

3. Comprimis verò notabilis est significatus, Nicom. Lib. 5. c. 14. quando Æquitas dicitur *Correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem*, ut alicubi habet Aristot. Vel certè, dextra legis interpretatio, ex naturali ratione ostendens, casum quempiam peculiarem sub lege universali non comprehendi, eò quòd aliàs absurdi, & præ quàm est æquum, incommodi quid inde sequeretur. Id quod etiam in Testamentis & pactis cautè observari ipsa jubet æquitas. Rectè Quin-

Quintilianus; *Nulla, inquit, tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Nam & semper caventes nequitia vicisset; & jus ita multiplex & diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum. Fecerunt ergò, ut rerum genera complecterentur, & spectarent ipsam æquitatem.* Declam. 331. Neque enim in legibus condendis omnes casus vel prævideri, vel exprimi possunt, id prohibente infinita casuum varietate. Quibus ergò incumbit generalia legum decreta ad speciales applicare casus, opus habent libertate, per quam à lege excipere queant casus, quos Legislator ipse, si vel adesset, vel casus illos prævidisset, excepturus fuerat. De quibus multa videre est apud JCtos ad *Digesta Tit. de legibus. Senatusque Consultis.* Hinc illud Celsi; *Benignius, ἐπιεικέστερον, leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conservetur.* l. 18. ff. de legib. Senat. consult. Neque tamen temerè huc decurrendum, ne quis alieni sese actus arbitrum faciat, sed sufficientia oportet indicia adsint, de quibus docent Legum Interpretes. Quale est exempli causâ, si non quidem per se & omninò illicitum sit diserta legis verba sequi, sed tamen rem humaniter æstimanti id nimis videatur grave & intolerabile; sive absolutè spectetur communis humanæ naturæ conditio; sive comparetur persona & res, qua de agitur, cum ipso fine actûs. Sic, qui auxilium fœderato promisit, cunctationem excusabit, ubi periculô domi subnatô, copiis ad sui defensionem opus habuerit. Quò pertinet etiam illud Ciceronis; *Si constitueris te cupiam advocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium non facere, quæ dixeris.* Offic. 1.

4. Potest etiam Æquitas ulteriùs extendi, quando nihil vetat æquum dici, qui in meliorem partem alterius verba & actiones interpretatur, quæ rigidiorem alioqui censorem nactæ pejùs accipi possent.

Modò

Modò interim cautio servetur ne conniventiæ exemplum fraudi sit: neve solutior & benignior interpretandi ratio sannionem vel cavillatorem arguere videatur. Qualis foret furem excusantis, quòd animô reddendi aliena invitis abstulisset: vel invasorem Regni Galliarum; quòd nec ambitione, neque cupidine aliena rapiendi, Gallias peteret, sed ut virtutem tactu medendi strumis sibi compararet.

5. Premere literam juris vel pacti &c. rigor est æquitati adversus: unde tritum illud; *Summum jus summa injuria.* Quò peccat, exempli causâ, qui legem neglectis circumstantiis interpretatur: qui operarium super mercede pacta urget, tametsi fortè alterum tantum operæ præstiterit, quàm convenerat. Sic ab eo, qui nescius formulæ contractûs damni quid faceret, si steterint conventa & pacta, strictè, quod stipulanti promisit, exigere velle, rigor est iniquus, etsi verba legis generaliter concepta exactori favere videantur. Pariter unam omnibus delictis constituere pœnam, plus quàm iniquum foret. Quo nomine Draconis leges, *quoniam videbantur impendiò acerbiores* (quippe, ut
Gell. 11. 18. Herodicus ajebat, *non hominis, sed Draconis*; vel, ut Demades, *non atramentô, sed sanguine scriptæ leges*) *tacito illiteratoque Atheniensium consensu obliteratæ sunt.*

CAP. X.

CAP. X.

De Virtutibus reductitiis, quæ ad Justitiam & Æquitatem revocantur.

§. 1.

Ad Justitiam & Æquitatem reducuntur Liberalitas, Magnificentia, Gratitudo, Veracitas, Taciturnitas, Candor, Fidelitas, Verecundia, Humanitas.

EXPL.

Istarum singularum principia è regulis Justitiæ & Æquitatis arcessenda sunt, quarum amor Virtus est in alios homines respiciens: unde una & suî ubique similis ex officiorum diversitate diversa sortitur nomina, qualia quædam sunt, quæ Theorema propositum exhibet. Quapropter non obscurum est attendenti, qua ratione ad Justitiam & Æquitatem reduci queant. De quô tamen clariùs etiam constabit ex dicendis.

§. 2.

Virtus in alios respiciens Liberalitas *dicitur, quando id tibi præstas, ut pro ratione opum lubens hilarisque sumptus facias, ubi, in quos, & in quem finem oportet.*

Ejus Extrema sunt Prodigalitas & Avaritia.

Expl.

I. AD definienda Liberalitatis officia, attendendum, 1. Quamobrem. 2. Quibus. 3. Quid & quantum. 4. Quomodo des. 5. Qua ratione datô beneficiô te geras.

II. 1. Causa ad dandum impellens, ne alia sit, quam veritatis & honestatis amor, quô unô tota virtus constat. Liberalem ergò negamus dantem alteri, unde vel genio indulgeat, vel instrumenta nocendi paret. Ambitiosus & avarus, non liberalis est, qui vel laudis captandæ gratiâ, vel lucri cupiditate, vel commodi ferendi spe, alteri sua largitur. Id enim creditum verius, seu mutuum, quàm beneficium est dicendum. *Non est beneficium,* 4. de benef. 14. inquit Seneca, *quod in quæstum mittitur.* Idem, *vesEpist. 8. cata beneficia tutam agere vitam volenti devitanda,* monet. Liberalitatem neque *temporariam*, neque Corn. Nep. in Attico cap. 11. *callidam* esse oportet: exemplô Attici, qui *non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit.*

2. Ut des, quibus dari convenit, *indigentiam* reputa accipientis, *mores* atque *conjunctionem vitæ.* Indigentia alterius primùm tibi spectanda, ad quam explendam beneficium dari solet ac debet. Ea verò non est uniusmodi. Vel enim necessaria illi desunt; Vel ea solùm quæ ad commodiorem vivendi rationem pertinent. Quo casu, quem cui præferas,

pru-

prudentia liberalitatis dux atque comes docebit. Mores deinde spectandi veniunt. Ille namque potiùs ope nostra adjuvandus est, qui, cæteris paribus, benè quàm qui malè moratus est. Cæteris, inquam, paribus, quia haud rarò usuvenit, ut qui probior est, longè minùs indigeat, quàm qui virtute vincitur. Ad mores porrò nihil vetat referri sapientiam, eruditionem, artificium humano generi utile &c. Cavenda hîc tamen scrupulositas. Rectè Cicero; *Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possimus. Sed si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est Author adhibendus, qui cùm consuleretur, utrùm bono viro pauperi, aut minùs probato diviti filiam collocaret: ego vero, inquit, malo virum, qui pecuniâ egeat, quàm pecuniam, quæ virô.* Offic. 2.
Quod denique ad conjunctionem vitæ attinet, duo ejus præcipua sunt genera. Vel enim conjunctio ista prorsus humana est inter cognatos, affines, amicos: vel suô modô divina inter ejusdem religionis socios. Utriusque autem cùm varii sint gradus, prudentiæ est, quis cui in accipiendo beneficio præferri possit, discernere.

3. Quid, quantumque des tùm ex indigentia, moribus & conjunctione vitæ, tùm ex facultatum modo, tùm denique ex eo æstimandum est, quid is, qui beneficium exspectat, sine tua ope consequi possit, vel non possit. Danda igitur omnium primò necessaria: dandum nec plus, nec minus, quàm res tua familiaris ferat, & accipientis indigentia postulet. Nec largiendum, quod accipienti foret noxium, veluti frigida ægro, ferrum sibi irato &c. quando omninò utilitas, non sola voluntas, beneficium exspectantis inspicienda est. Prudenter Cicero; *In illo*, inquit, *genere largiendi, quod à liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est ejus, qui calamitate premitur, & ejus, qui res meliores quærit,* Offic. 2.

 nullis

nullis suis rebus adversis. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos; nisi fortè erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adjuvari volunt, non ut ne affligantur, sed ut ad altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullô modô debemus: sed in deligendis idoneis judicium & diligentiam adhibere.

4. Neque tàm ad beneficii gratiam interest, *quid* & *quantum*, quàm *quo animô* des. Animô scilicet perinde lubenti atque hilari dabis, atque accipere velles. Quare 1. Ubi alterius egestatem senseris, noli exspectare, dum rogeris, quinimò precibus prævertens, voluntatem ejus inquiras & divines. 2. Rogatus amplioribus verbis rogare parantem interpelles, ne rogari velle videaris: certior factus illicò promittas. 3. Promissa ne differas, quasi, dum denuò rogeris, exspectaturus. *Bis dat, qui citò.* Et *beneficium est, citò negasse.* 4. Hilari vultu, blandisque verbis beneficio addas gratiam. 5. Clàm potiùs, quàm in propatulo largiare: tùm ut ne amicum vel fratrem pudefacere: tùm ut ne gloriolam è beneficio aucupari videare. Id quod imprimis tenendum de eo beneficiorum genere, quæ infirmitati, egestati & ignominiæ succurrunt, & iis solùm, quibus prosunt, nota oportet.

5. Quâ tandem ratione beneficiô datô te gerere debeas, sic accipe. 1. Cavendum, ne multis tibi patiaris agi gratias, cautione ista novam beneficio gratiam additurâ. Infra dignitatem accipientis te præstitisse significes, eumque, quòd tuô beneficiô uti voluerit, collaudes: sic verbis beneficium ornatur. 2. Quantum in te est, dati beneficii oblivisca-

Sen. 2. de benef. 11. ris: *pertinax sit memoria debentium.* Dedisti beneficium, *taceas, narret, qui accepit.* 4. Beneficii fructum ne sequaris, nedum pensari petas, nisi gra-

Id. 1. de benef. 1. vissima urgeat necessitas. Alioqui *non turpius est inficiari, quàm repetere beneficium.* 5. Magis tibi doleat, non dedisse, cui dandum fuerat, quàm fortè

fortè dedisse, cui beneficium fuerat negandum. 6. *Propositum optimi viri & ingentis animi est, tamdiu ferre ingratum, donec feceris gratum.* *Id. 5. de benef. 1.*

III. His accedit, quòd Liberalitas non in dando duntaxat, sed sæpè etiam in accipiendo conspicua est, homine liberali à turpi quæstu, usuris & exactionibus temperante. *Convenit autem*, inquit Cic. *Offic. 2.* *tùm in dando munificum esse, tùm in exigendo non acerbum: in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, in vicinitatibus, & confiniis, aequum & facilem, multa multis de jure suo concedentem: à litibus verò, quantùm liceat, & nescio an paulò plus etiam quàm liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paullum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.* Verissimè Comicus; *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.* *Ter. Adelph. 2.* Quare & inimicis, juxta præcepta Evang. benefecisse ne pœniteat. *Si esuriat inimicus tuus, ciba eum: si sitiat, potum da ei. Hoc enim faciens prunas igneas congeres in caput ejus.* *Rom. 12. v. 20.* Significat Apostolus, benefactis obruendum inimicum, quò tandem resipiscat, & beneficentia lenitateque nostra victus ex hoste fiat amicus. Quæ alia de hisce præcipiuntur Evangelio, videbimus aliàs.

IV. De Extremis, *Prodigalitate* & *Avaritia* videsis, quantum satis est ad Institutum, suprà Cap. VI. §. 5. ubi de Frugalitate, & vitiis ei oppositis.

§. 3.

Virtus in magnis sumptibus, ubi, in quæ & quo fine oportet, faciendis occupata, Magnificentia dicitur.

Ei adversantur, hinc quidem Luxus, inde Sorditudo.

E x p l.

I. Magnificentia & Liberalitas eò solùm differunt, quòd hæc in sumptibus mediocribus & quotidianis; ista verò in magnis & rarioribus, ut vel ipsum arguit nomen, sese spectandam præbet. Unde Magnificentia opulentorum tantùm, nobilium, clarorum, principumque Virorum est, quibus relicta potiùs, quàm labore parta res est.

II. Impensarum genera, quas, si res ita ferat, facere magnificum decet, duo sunt. Vel enim fiunt in *Res sacras*; vel in *res seculares*. In res sacras; veluti in ædes sacras, scholas, xenodochia &c. In eos, qui sacra obeunt, Theologiam docent, aut discunt: in Bibliothecas ad usum publ. instruendas: in libros de re divina typis vulgandos; in itinera Veritatis defensioni & propagationi destinanda & suscipienda. In res deinde seculares; velut in ædificia & ornamenta publica civitatis, & alia, quà pacis, quà belli tempore, in vulgus utilia: In eos, qui civitatem ordinant & gubernant; qui negotia civilia tractant; qui artes liberales docent aut discunt. In quibus tamen ea servanda est prudentiæ regula, ut divina humanis, necessaria utilibus, anteferantur, ratione tàm personæ, quàm operis & finis semper habenda.

III. *Luxu* modus faciendi sumptus exceditur. Veluti cùm solius ostentationis causâ sumptus ingentes in vilia & non necessaria profunduntur. Quod in

Caligula notat Sueton. *Nepotinis sumptibus* in novum *In Calig. c. 37.* balnearum usum, portentosissima genera ciborum, histriones, equos, gladiatores &c. *omnium prodigorum ingenia superavit, immensasque opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies HS.* h. e. 66. milliones & 5. myriades Philippicorum, *non toto vertente anno absumpsit.*

IV. Sorditudo à modo faciendi sumptus in magnis deficit. Sic peccant, quos parva in res præclaras impendisse pœniret, impendio nec personæ nec operis dignitatem exæquante. Maximè verò qui è sordibus lucrum capessunt. Ut Vespas. *T. Fl. Vesp. c. 14. & 23.* Imperator, de quo Sueton. inter alia; *Negotiationes quoque vel privato pudendas propalàm exercuit, coëmendo quædam tantùm, ut pluris posteà distraheret: imo & urinæ vectigal commentus.* Scilicet sordido, ut Juvenalis ait, *lucri bonus est odor ex re* *Sat. 4.* *qualibet.*

§. 4.

Virtus in alios respiciens, quando etiam id præstat, ut alterius beneficia ultro agnoscas, eaque, quoad potes, cum fœnore rependas, Gratitudo dicitur.

Ei opposita Ingratitudo vitium est benefacta oblivioni dantis, aut certè dissimulantis.

E x p l.

I. GRatitudinis est beneficia agnoscere sensu, deprædicare verbis, & rependere factis. Illud vulgò *gratiam habere*; Istud, *gratias agere*; Hoc *gratiam referre*, dicimus. Gratiam habet, qui beneficii est memor. *Qui meminit*, inquit Sen. *sine* *3. de benef. 2.* *impendio gratus est. Hoc quod non operam exigit, non*

 opes,

opes, non felicitatem, qui non præstat, nullum habet quò lateat, patrocinium. Gratias agit, qui beneficium fatetur, & quibus par est verbis collaudat. Cavendum verò, ne aut vilipendere videaris quod accepisti beneficium, aut nimis ambitiosè prædicando in adulationis suspicionem incidas. Ut illud in magnis, itidem & hoc in parvis vitandum.

Sen. 2. de benef. 25. Gratiam denique refert, qui *statim dum accepit, de reddendo cogitat*; & qui reapse pro facultatum modulo reddit. Ubi sequentia monendus es. 1. Ut

Idem 5. de benef. 40. ne quid præproperè: *Qui festinat utique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et qui nimis citò cupit solvere, invitus debet: qui invitus debet, ingratus est.* Et paulò antè; *Ne illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam etiam invitis his, quibus refertur, properemus, & instemus cedentibus. Non est referre gratiam, quod volens acceperis, nolenti reddere.* 2. Ut, si queas, cumulatiùs majorique alacritate reddas: cùm reddendi, quàm dandi beneficii, magis necessarium sit officium. Potior verò semper esto vicissim egentis ratio. At dicas fortè; *Animum præstare gratum debeo: cæterùm aliquando me referre gratiam non patitur mea infelicitas, aliquando felicitas ejus, cui debeo. Quid enim Regi, quid pauper diviti reddam?* Resp. Gratiam referre non possum. Quid ad rem? Non est per me mora, si, ut maximè velim, aut occasio mihi deest, aut facultas. Reddidit tamen beneficium, qui libenter debet. Adde & illud

2. de benef. 25. Senecæ; *Nullò magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quàm quòd cum Patri Antonianas partes secuto veniam impetrâsset, dixit; Hanc unam Cæsar habeo injuriam tuam: effecisti, ut viverem & morerer ingratus. Quid est tàm grati animi, quàm nullò modo sibi satisfacere; nec ad spem quidem exæquandi unquam beneficii accedere?*

II. Be-

II. Benefactores, quibus gratitudinem præprimis debemus, sunt *Deus*, *Patria*, *Parentes*, *Præceptores*. Deus nos, cùm nihil essemus, creavit, lapsos nos sine nobis restituit, redemit, sanctificavit &c. innumeris beneficiis benignissimè auxit. Quam non merentur istbæc gratitudinem? Patria nos genuit, aluit atque tutata est: Cur non totos nos eidem vicissim debeamus? Parentes tantoperè beneficiis nos obœrârunt, *ut ne vultu quidem eos deceat lædere, pro quibus mori liberos, si res postulat, jura divina ac humana cogunt.* Cic. pro Sexto Amer. Præceptoribus denique haud magis quàm parentibus æquivalens reddi potest. Parentum enim locô sunt, *adeò ut, quod in salutem eorum à discipulis inhumaniter admissum sit, speciem profectò parricidii habere videri possit.* Vitruv. Poll. Non desunt discentes, qui Evathlum, ingratum illum Protagoræ discipulum, apud A. Gellium, imitati, docentes astutè eludant, in eos ipsos, à quibus accepere, arma convertant, proque didactro gratiam viperinam, maledicta, calumnias, aut ludibrium saltem persolvant. Noct. Attic. 5. 10.

III. *Ingratitudo* Vitium est ut omnibus meritò invisum, sic nemini non notum. Verè Comicus; *Quod bonis benefit beneficium, gratia ei gravida est bonis.* Mali ergò, imò nequissimi sunt ingrati. Unde tritum illud; *Si ingratum dixeris, omnia dixeris.* Et *nihil æquè concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium. Nam quô aliô tuti sumus, quàm quòd mutuis juvamur officiis?* Sen. 4. de benef. 18. Ingratitudinis porrò tres potissimùm gradus retrò numerari solent: 1. *Beneficium acceptum non reddere.* 2. *Non prædicare.* 3. *Non agnoscere.* Ingratus est, qui, cùm possit, non reddit beneficium: Ingratior, qui ne quidem prædicat, aut laudat: Ingratissimus, qui nec agnoscit, oblitus; aut certè dissimulat, vel quod turpissimum est, negare sustinet.

IV. Sed & alii secretiores quidam ingratorum characte-

4. de ben. 18. 40. racteres sunt. *Ingratum voco*, inquit Sen. *quisquis metu gratus est*. Item, *Ingratus est*, *qui invitus debet*. Et rursum; *Ingratus est*, *qui in referenda gratia*
Ibid. 19. *secundum datum videt*, *qui sperat*, *cùm reddit*. Ut qui memor officii ægro assidet, quia testamentum
Idem. 2. de ben. 23. conditurus est: captator est, hamum jacit. *Ingrati quoque sunt*, *qui nolunt*, *nisi secretò accipere*: *testem beneficii & conscium vitantes*, *ut sua potiùs virtute*, *quàm alienò adjutoriò consecuti videantur*. *Furtivè & remotis arbitris gratias agere*, *non verecundia*, *sed inficiandi genus est*.

§. 5.

Virtus dicendorum cum rebus mente conceptis consensum prudenter servans, *Veracitas est*.

Ei adversatur mentiendi libido, *ex circumstantiarum & indidem nominum varietate etiam ipsa varia*.

EXPL.

1. VEracitas *dicendorum cùm rebus* &c. *consensum servat*: *dicendorum*, inquam, non actionum. Siquidem voces, & quæ vocum similes sunt notæ & nutus, reperta usuque recepta sunt ad significandum cum mutua obligatione. Unde stratagemata, quibus consilia cautè occultantur, mendaciis annumeranda non sunt: quia quod inde sequitur nocumentum licitum esse ponimus ex belli justitia. Cui
Jos. 8. rei illustrandæ exemplo sit ficta fuga, quam Josue suis præcepit, ad Hajum expugnandum. Fuga enim ex instituto nihil significat, quamquam hostis eam accipit, ut signum pavoris, quod alter cavere non tenetur, sua utens libertate huc illuc, hôc, illô modo, eundi. Quæ formæ infelicitatem fucô occulit, sine verbis mentitur, quia studiô placendi fallit, nullo suo jure nocitura. Hyperbole, quæ, ut

ut ille ait, *ad verum mendacio venit, incredibilia affirmans, ut ad credibilia perveniat*, mendacium non est, quia hyperbole in verbis, non in sensu est. Deinde & usus & affectus dicentis, quem vultu & verborum sonô præfert, verborum significationem juvant.

II. Consensum porrò servat *dicendorum cum rebus, quà mente conceptis.* Quod enim primô & *ἀμέσως* verbis, similibusque notis indicatur, mentis sunt conceptus. Unde consequitur, non mentiri, qui rem dicit falsam, quam veram existimat. Velut si, qui benè numatus domo exivit, se pecuniam in numerato habere affirmaret, nesciens, eam à zonario sectore se clàm ablatam esse. Contrà mentiri contingit eum, qui verùm quid profert, sed idem falsum putat. Unde usu protrita apud Ethicos distinctio *Veritatis Logicæ & Ethicæ.* Nec illud temerè additum est; *Prudenter* servans consensum &c. Ut significetur, nec quidlibet, nec semper, nec quôlibet modô esse efferendum. *Aliena* quidem *vero prologui nunquam decet*: sed veracitati tamen danda comes est taciturnitas.

III. Aristoteles positâ virtutis naturâ in mediocritate affectuum & actionum, Veracitati dedit opposita minimè ex æquo respondentia, neque mendacii malitiam exæquantia, *Arrogantiam* scilicet & *dissimulationem.* Qui res promiscuè falsas pro veris refert, numquid mendacem esse dubitabimus? Sic verò nec arrogans fuerit, nec dissimulator, vocibus hisce speciatim, ut fieri solet, acceptis. Qua propter veracitati veriùs mentiendi libidinem opponimus, quæ animi infirmi, abjecti, timidi & malitiosi indicium est, & multifariàm se prodit.

1. Eò spectant omnis generis *mendacia injuriosa & perniciosa*: ubi fallendi animô quid scribitur, notatur, innuitur, quod aliter intelligi nequeat, quàm in eum sensum, qui à mente proferentis discrepet; atque

atque adeò judicandi libertas, quam colloquentes pactô quôdam tacitô, imò & linguæ usu & lege divinitus datis, quasi adjurati, sibi invicem debent, intercipitur. Utrùm eo censu eximi debeant, nec ne, *mendacia jocosa*, quæ vocant, & *officiosa*, quibus posterioribus ab altero periculum avertitur, aut insigni quis commodô augetur, Theologis disquirendum relinquimus. Interim indubitatum nobis est, omnem illum Grotianæ eruditionis apparatum, quô mendacii jocosi & officiosi culpa diluitur, de generis naturæ humanæ esse argumentum. Si enim, qualis à conditu fuit, homo etiamnum esset integer, non permissum, neque necessarium videretur, ut *puerorum ætas improvida ludificaretur*: neque opus haberet quisquam ægrotantem amicum persuasione non vera solari. In eas verò redigi angustias, ut vitam innocentis, puta, patris, fratris, amici &c. aliter, quàm mendaciô servari; aut alterum ab improbi facinoris perfectione aliter averti non posse putes, hinc, quidem castigationis divinæ; inde verò infirmitatis & diffidentiæ argumentum est. Certè quidem mentitur, quisquis aliter, ac sentit, loquitur, animô fraudandi jus, & intercipiendi libertatem judicii ejus, ad quem sermo dirigitur.

Lib. III, de J. B. & P. cap. 1.

2. Mentiendi lubido vel in rebus ad Religionem & Mores spectantibus; vel in aliis rerum genere promiscuè cernitur. In *illis* quidem, qui datâ operâ mentiuntur seductorum & falsorum prophetarum nomine infames fiunt. In *his* verò qui mentiuntur, vel commodi sui causâ id faciunt, ut agyrtæ, veteratores & deceptores magnarum rerum scientiam profitentes. Quòd si fallaces addant ratiunculas, eruditionis speciem præ se ferentes, sophistæ dicuntur. Vel certè nullâ commodi illecebrâ, sed sola animi levitate ducti id faciunt, & vani simpliciter audiunt.

3. Idem

3. Idem vitium eo nomine maximè est invisum, quòd falsis sermonibus honori atque existimationi alterius insidiatur. Quo casu *maledicentia*, & actus ipse *maledictum* ac *convitium* appellatur. Quòd si in Deum; vel virum divinum, puta, Prophetam vel Apostolum; vel rem prorsus divinam, conjiciatur, nominatim *blasphemia* dicitur. Sin verò hominis famam & existimationem lædat, vel in genere *falsum* est *testimonium*, quo mendax falsum crimen alteri objicit, aut objicienti oratione subservit: vel *obtrectatio* est, quâ mendax absentis & inscii famam coram aliis imminutum it: vel *sycophantia* & *delatio*, quâ quis sciens & volens crimina de altero, sive falsa, sive vera, quæ premi potiùs, quàm promi, oporteat, commodi sui causâ defert ad eos, qui eadem in ipso vindicare possunt. Si grave sit crimen, quod alteri falsò objicitur, *calumnia* est. In quo genere haud abs re annumerari potest quævis malignitas atque aliena facta dictaque promiscuè vel carpendi vel dilaudandi studium: quale invidorum est, quibus volupe alienas atterere laudes; & adulatorum, qui ficto amore & obsequiô grassantes, indignissima quæque alterius facta laudibus prædicant.

> *Hic nigræ succus loliginis, hæc est*
> *Ærugo mera.*

4. A falsiloquio eximi non possunt *æquivocationes*, quas vocant, & *retentiones mentales*: quas sanè ad fallendum comparatas quidam mentiendi artifices magnô studiô, pessimô exemplô, defendunt. Ut cùm dicunt, *nescio*; intelligi posse, *nescio, ut dicam*. *Non habeo*; intelligi posse, *ut tibi dem*: & id genus alia, quæ sensus communis repudiat: quæque si admittantur, jam nihil obstabit, quominùs qui quid affirmat, id ipsum negare; qui negat, affirmare dicatur: præsertim si verum sit, quod Chrysippus

Noct. Att. 11. 12. sippus apud Gellium defendit, nullam esse vocem, quæ non ambiguum recipiat.

§. 6.

Virtus tacendi & loquendi modum præscribens Taciturnitas dicitur.

Eum modum excedens vitium, Garrulitas; deserens, morosa & nimia sermonis parcitas est.

Expl.

1. Modus loquendi & tacendi, quem Virtus tenendum præcipit, in seq. spectatur officiis. 1. Sermo sit præmeditati, non præcipitis: ne pòst locutum fuisse pœniteat. *Mors enim & vita in manu linguæ. Sepem prætexis prædio tuo: quin potiùs* Prov. 18. 21. *ostium & repagulum obdis ori tuo? Aurum & argentum expendis librâ, cur non trutinas verba tua aurificis statera?* Eccles. 28: 28. 29.

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

2. Ratio habenda circumstantiarum, & consideratè observandum, quid *tempori*, *loco*, *personis*, *rebusque* conveniat. De quibus ubi de prudentia. 3. Non nisi utilia & tempestiva proferenda. 4. Brevitati orationis studendum, quantum res ipsa, & auditorum fert ingenium. 5. Secreta, cùm sua cujusque, tùm aliena, etsi vix quicquam videatur subesse periculi, diligenter sunt celanda. Prudenter Comicus, *Tu Pol*, inquit, *si sapis, quod scis, nescis*: nisi notam hominis maledici, futilis, proditoris incurrere, fidem prodigere, amicum perdere &c. quàm loquendi temeritatem cohibere malis. S. Aur. Vict. de Vir. Illustr. Id laudi datur Q. Cæcil. Metello, quòd, *cùm omnia propriò & subitò consiliò ageret, amico cuidam, quid acturus esset, roganti; Tunicam, inquit, meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.* Opportunè Euripides, secretorum retinentissimus, cui-

cuidam fœtentem animam exprobranti respondisse fertur; *Ne mireris, ô Bone! multum arcani in hoc ore computruit.*

II. Modum excedit *Garrulitas*, sive futilis & inanis loquacitas, importunum sanè, plerumque odii vitium, certissimum inconsideratiæ argumentum. *In multitudine sermonum non deest delictum, & continet labia sua consideratus.* Qui diligenter considerat, verborum parcus est: contrà sermonis immodicus nec verba nec res ponderat: hinc inconsideratè loquens varia & inter se minimè conformia blatit. Non inscitè Gellius; *Qui sunt leves & futiles & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis tumidis & lapsantibus diffluunt; eorum orationem benè existimatum est in ore nasci, non in pectore. Quos videas sic scatere verbis sine ullo judicii negotio cum securitate multa & profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire.* Quibus vel aures deesse, vel in linguam defluxisse non immeritò dicas. Garrulitatis verò pessimum est illud de quo Poëta; Prov. 10. 19. Noct. Attic. I. 15.

Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

Garrulis enim familiare, secreta eadem libidine prodere, quâ audiunt. Unde illa Poetæ præcepta;

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est, Hor. Epist. I. 18.
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures. Item;
Fingere qui non visa potest, commissa tacere Serm. I. 4.
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Non malè rebus consuleret humanis garrulus noster si Parmenonis Terentiani exemplô dicturientes præmoneret;

Plenus rimarum sum; hac atque illac perfluo. Eunuch. I. 2.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.

III. Mo-

III. Modum deserit morosa sermonis parcitate, vel intempestivô silentiô, qui tacet, cùm honestè, decorè & utiliter loqui posset ac deberet. Vitii characterem & originem pandit illud Simonidis verbum, quô perstrinxit hospitem, cui in convivio assedit planè muto: *si*, inquit, *stultus es, benè facis: sin sapiens, malè.* Stultus igitur stultitiæ suæ pœnam dedit ultroneam Diogenes Laërt. quando perpetuum tenuit silentium, quòd loquendo matri causa mortis extitisset: cui Adrianus ne quidem indictâ mortis pœnâ vocem exprimere potuit. Plutarch.

§. 7.

Virtus, quando Veritatis amantem apertè & bona fide dicere jubet ea, à quibus proferendis vel commodi aut existimationis suæ studium, vel offensionis aut periculi metus eum absterrere possent, Candor appellatur.

Ei adversantur tùm Jactantia; tùm dissimulandi studium.

Expl.

I. Quia virtus dicendorum cum rebus mente conceptis consensum servare præcipit, etiam quæ in te, sive bona, sive mala, senseris, bona fide, ubi opus est, proferre jubet: in quo *Candor* est. Cujus officium cùm in *favorabilibus*; tùm in *Odiosis* spectatur.

1. In *favorabilibus*. Hîc nonnulla reticere licet, aut dissimulare, aut verbis modestè elevare, dummodo cautio sit, ne dissimulatione &c. ampliorem laudem provocare velle videaris, re præsertim, quam dissimulas, plus satis manifestâ. Semetipsum verò tùm demùm laudare licebit, cùm adversariorum calumniæ & obtrectationes ad id faciendum nos per-

perpellunt. Facti tamen invidiam modestè deprecabimur, significando, nos invitos ad ea, quæ laudi esse queant, commemoranda, adactos fuisse. Dotes insuper suas prædicare licet, quando id non tàm ad nostram laudem, quàm ad eorum pertinebit gloriam, qui earum nobis extitere authores: modò ne nos simul ea propter extollere velle videamur. Senioribus, ut ætate minores exemplô suô ad virtutem extimulent, licet labores suos & præclara facta enarrare, ut juniores domi habeant, unde discant.

2. In *Odiosis*, qualia sunt delicta nostra, nævi, & errores, quæ fateri necessum est, ubi eorum dissimulatio, aut negatio nos vel mendaces, fraudulentos & impudentes; vel certè pertinaces, contentiosos & ambitiosos arguere, aliosque corrumpere & non leviter offendere posset. Id quod fieri solet cumprimis, ubi quis convictus etiam res testatas & manifestas fateri præfractè recusat.

II. *Jactantia* vitium est in bonis suis prædicandis modum excedens. Eô culpatur, tùm qui laude digna sibi attribuit, quæ nulla, vel certè minora, quàm videri velit, habet: tùm qui sibi Suffenus, quæ reapse habet, intempestivè & gloriosè jactat. *Dissimulandi studium* in iis notatur, qui bona, quæ habent, vel prorsus, habere se, negant; vel præ ut æquum sit, extenuant. Quod ipsum ambitiosæ artis ut plurimùm esse videtur. Qui enim nimis affectatè sua extenuant, eô ipsô majora sibi inesse credi volunt, & obliquâ viâ ad laudem grassantur.

§. 8.

Virtus in promissis liquidò & licitè factis sibi constans, Fidelitas: & Vitium, illi oppositum, Perfidia dicitur.

E x p l.

Offic. 1.7. 1. Fidelitas, quæ & Fides appellatur, Veracitatis pars est: siquidem, notante Cicerone, *dictorum, conventorumque est constantia & veritas.* Unde etiam, *quia fit, quod dictum est, appellata fides.* Hæc Justitiæ in contractibus spectatæ fundamentum est. Justitiæ enim convenit, suum cuique tribuere, vel, quod illi debetur, exsolvere. At qui liquidò promittit, rei promissæ fit debitor. Unde tritum illud; *Omne promissum cadit in debitum.* Et verò ni promissa servandi necessitas foret, haud quicquam liceret rationes suas firmiter aliorum hominum subsidiis superstruere. Quin & ex decepta fide justissimæ querelarum, bellique causæ provenire queunt. Ubi enim ego ex pacto quid præstiterim, altero fidem fallente, mea mihi, frustra fidem ejus secuto, res & opera periit. Sin verò etiamnum nihil præstiti, rationes tamen, & destinata mea turbari, molestum est, cùm aliô modô rebus meis consulere potuissem, nisi iste sese mihi obtulisset. Adde & indignum esse, me ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi. Fecisse, quod recepisset, laudi sibi fore sensit etiam homo è parasitorum grege, apud Comicum;

Ter. Phorm. I. 7. *Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.*

Mina-

Minarum diversa ratio est. Neque enim fides tua laborabit, si quod minatus es, non feceris: quia minis nulli audienti jus acquiritur. Si quid juris hîc est, id totum minantis, ut jus pœnæ punientis, est.

II. Ut promissorum constantia virtutis laudem habeat, promissa *liquidò & licitè* facta fuisse oportet. h. e. tùm ultroneo & consulto consensu: tùm de re, quæ sit, aut esse possit in jure & potestate promittentis. 1. *Ultroneo*, inquam, *& non inconsulto consensu*. Cùm enim promissi & pacti cujusque impletio cum aliquo conjuncta sit onere, nulla propior ratio afferri potest, quare super eo rectè conqueri nequeamus, quàm quia ultrò in id consensimus, quod evitare penes nos erat. Quid tenendum sit de pactis & promissis, quibus error vel metus causam dedit, videatur apud Grotium, Pufendorfium &c. 2. Ut deinde promissa & pacta valida sint, necesse est esse de re, quæ sit in jure & potestate promittentis: h. e. ut promissor eam præstare nec lege, nec virium defectu impediatur. Quare promissa facti per se illiciti nulla sunt. Peccat qui illicita se facturum recipit, bis peccat, qui eadem præstat. Verissimè Papinianus, *quæ facta*, inquit, *lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*. Neque ad impossibile quisquam sese obligare potest. Quòd si res, quæ tempore pacti iniri possibilis habebatur, pòst casu aliquo, nullâ paciscentis culpâ, impossibilis facta sit, re quidem integra, pactum erit nullum. Ubi verò jamjam quid præstitum ab altero fuit, id restitui, aut æquipollens reponi jubet justitia correctrix. Sin res nunc temporis non sit in potestate promittentis, sed futura probabiliter judicetur, pendebit efficacia promissionis, tanquam hæc sub conditione factæ, si res in potestatem venerit. Quo casu operam dabit promissor, ut, quoad ejus mo-

De J. B. & P. l. 2. c. 11. §. 6. &c. De Jure Nat. & Gent. l. 3. c. 6.

l. 15. ff. de condit. Instit.

rali æstimatione æquum fuerit visum, impleatur. Plura de his atque illis videantur apud Authores mox laudatos.

III. Sanctam præcipuè fidem esse oportet in jurejurando, cujus ad promissa & pacta firmanda apud
Cic. Off. 3. omnes populos & ab omni ævo vis fuit maxima. *Est enim jusjurandum affirmatio religiosa.* (quâ Deum fidei nostræ testem, & perfidiæ vindicem appellamus.) *Quod autem affirmatè, quasi Deo teste promiseris, id tenendum est*: etsi præstare, quod juratò promiseris, magno tibi constet incommodo. Intellige tamen, nisi casus ille exceptus censeri possit, communi hominum judiciô & consuetudine, cui lex non repugnet. Unde ad legem Regni Dei, & *ἰσονομίᾳ* civium ejus pertinet quoque Religio jurisjurandi etiam cum damno aut molestia servandi;
Psalm. 15. 4. *Si juravit ad malum (vel cum malo atque incommodo suo facturum) non mutat.* Qui jusjurandum commodi sui causâ violat, haud dubiè se Deum non reputare satis probat.

IV. Fidelitati adversatur perfidia, quæ in rebus promissis mentiendi fidemque fallendi lubido est; cumprimis detestanda in pactis juratis. Hinc gravissima pœna perjuris imminere nunquam non credita etiam Ethnicis

Hes. Op. & Dier. l. 1. *———— Clades mortalibus unde*
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

§. 8.

Virtus decorum ubique servans Verecundia dicitur. Decorum appellamus, quicquid homini ratione habita naturæ, sexûs, ætatis & conditionis convenit.

Expl.

I. Verecundiæ non exigua laus, nec minor utilitas est. Unde Ciceroni *Custos* est *omnium virtutum, dedecus fugiens, laudemque maximè consequens.* Decorum quod servat, duplex est; *Unum* quidem commune hominum omnium: *Alterum* singulorum proprium. *Illud* ex naturæ præstantia fluit, quâ homo rationis particeps brutis animantibus antecellit; atque eô ipsô monetur, ne quid naturâ hominis indignum committat, seque ad abjectam brutorum sortem unquam demittat. *Hoc* suo cujusque hominis ordini & conditioni proprium est: velut principi, Ministro Ecclesiæ, viro, fœminæ, seni, juveni, nobili, plebeio &c. de quibus tenendum generale præceptum; *unicuique sequendum esse, tum quod naturæ consentaneum, tùm quod communi hominum sententiâ pulchrum & conveniens est*: ne aliorum judicium contemnere, & exspectationem frustrari velle videatur.

II. Verecundiam fovent Gloria & Pudor. *Illa* quidem spe laudis apud alios obtinendæ: *Hic* verò metu vituperii. Hos affectus qui exuunt, ut olim Cynici, insuper habentes, quid de se sentiant alii, non solùm arrogantes sunt, sed etiam dissoluti, quippe ad impudentiam projecti. Ut enim populus, non idoneus rei benè gerendæ author, pessimè de actionibus haud malis judicet, attamen quia procul turbâ segreges vivere non possumus, neque nihil refert, à populo æstimari, hactenus populi potiùs,

quàm nostras; opiniones, quantum ad externa actionum nostrarum attinet, sequi necesse habemus.

§. 9.

Verecundiæ partes sunt Gravitas & Civilitas.
Gravitas est Constantia quædam & Dignitas in vultu, motu ac gestu corporis, sermone & vestitu, suæ cujusque conditioni conveniens.
Ei opponuntur cùm affectata Severitas & Supercilium; tùm soluta Levitas.

EXPL.

I. Vultus virum gravem is decet, qui hominis esse solet seria agentis, non tristis tamen, nec tetricus. Motus, nisi res moram non ferente, sit æquabilis, non varius, non concitatus. Flexus corporis & artuum sit virilis, non effœminatus, non histrionicus: ita tardus, ut ne ignaviam arguat. Sermo sedatus, stabilis, tardior paulò, non præceps, non acutus, non contentiosus, non jactabundus. Vestitus denique nec colorum varietate, nec affectato splendore insignis juvenilem levitatem præ se ferat.

II. Gravitas ergò pro singulorum conditione variat. Majorem esse convenit in sene, quàm in juvene; majorem in matrona, quàm in juvencula &c. Quin imò & Gentium moribus hæc ipsa variant. Quæ Romanis indecora fuere visa, velut *saltare commodè, scienterque tibiis cantare* &c. Ea Græci etiam summorum Virorum personis non indigna existimârunt. *Corn. Nep. in præfat.*

III. Modum in Gravitate tenendum excedit, qui Severitatem affectat, qualem ridet Comicus in sene illo vultuoso.

Nescio

Nescio qui senex modò venit: ellum, confidens, catus: Ter. Andr. 5. 2.
Cùm faciem videas, videtur esse quantivis pretî:
Tristis severitas inest in vultu.

Levitas vultu, gestu, incessu, sermone, vestitu peccante, se prodit, ubique quasi legibus soluta. Unde de indole, habitu & affectu animi non omninò fallax est conjectura: qualis illa Nazianzeni de Juliano Apostata; *Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas, ut colli crebræ conversiones, humeri inquieti, oculi torvi & vagabundi, furibundum quiddam continentes, pedes instabiles, crebræ gesticulationes, nasus contumeliam & contemptum spirans, cachinni frequentes* &c. Virum gravem non oportet esse instar *statuæ* immobilem, neque instar *simiæ* instabilem. Hist. Eccles. tri-part. Lib. 7. c. 2.

§. 10.

Civilitas est externa morum, communi prudentum & bonorum usu probatorum, elegantia.
Et adversantur tùm Rusticitas; tùm ridicula Civilitatis affectatio.

EXPL.

Civilitas Verecundiæ pars est, quippe cùm servet decorum illud, quod qui negligit non quidem improbus, sed incultus atque rusticus dicitur. De hac quæ præcipuè tenenda sint, generalia hæcce doceant præcepta. 1. Sequenda est hactenus regionis & loci cujusque consuetudo. 2. Exempla eorum imitanda, qui prudentiorum judicio elegantioribus censentur esse moribus. 3. Sedulò cavendum, quicquid vitii speciem præbere, aut suspicionem ingerere potest: contrà sectandum, quod laudi fore,

non vitio versum iri, persuasus sis. 4. Cautè submovenda omnia, quorum aspectus offendere, vel cogitatio molesta esse queat. Quin & illa supprimenda, quæ turpis rei vel memoriam refricare, vel speciem animo objicere possint. 5. Quicquid molle & effœminatum est, id præcipuè viro fugiendum. 6. *Adhibenda corporis munditia est, non odiosa, nec exquisita nimis: tantùm quæ fugiat agrestem & inhumanam negligentiam.* 7. Non negligenda benevolentiæ & honoris testificandi signa, quæ usus probaverit. Quo ipso usu cætera quoque Civilitatis veriùs, quàm præceptis edisci possunt. De vitiis Civilitati opponendis è dictis facilè constat.

§. 11.

Virtus, dum id tibi præstat, ut erga quosvis homines communi cognationis sensu tactus benevolè afficiaris, iisque cùm verbis, tùm factis, utiliter & honestè placere studeas, Humanitas dicitur, complectens Hospitalitatem, Comitatem, Affabilitatem & Officiositatem.

Adversantur illi Inhumanitas & nimium placendi studium.

Expl.

I. UT quæ humanitatis sit indoles atque præstantia paulò rectiùs intelligatur, juvat ejusdem tantisper inspicere officia. 1. Id agit humanus, ut quantum honestas & vera aliorum utilitas patitur, nemini sit molestus, sed omnibus jucundus. 2. Aliorum rectè facta, quoties fieri commodum videt, libenter laudat. Commodum autem imprimis tùm est, ubi approbatio laudisque testimonium, Vel ei, qui laudatur ad similia, majorave suscipienda; Vel aliis ad æmulandum prodesse, nemini verò nocere, aut saltem longè plus utilitatis, quàm incommodi, afferre potest. Sic enim ferè comparatum videmus, ut

fuus *hunc* instet deterioremque reddat; *illi* contrà calcar ad virtutem addat. 3. Si quæ in aliis reprehensione digna videt, ita vituperare studet, ut reprehensionis asperitatem dexteritate quadam & verborum lenitate, quantum res ipsa, & ejus qui objurgandus est, fert utilitas, emolliat. Imò si peccare contingat amicum, id ipsum vertit in occasionem beneficii; nimirum, ut Mimus dixit; *Amici vitia si feras, facis tua.* 4. Quòd si mali gravitas acriorem postulet medicinam, prout *crudelem medicum intemperans æger facit*, præterquam quòd & audientium utilitas sæpè aceti aliquid exposuit, Humanus futurum potiùs eorum, quos monet, commodum, quàm præsentem voluptatem quærendam statuit. Etenim non rarò fit, ut is, quem nunc aliqua ratione offendit aut contristat, quia cupiditatibus ejus, stultis fortè ac noxiis adversatur, pòst, ubi affectus deferbuerit, & judiciô liberô rem expenderit, eô factô vehementer gaudeat, & reprehensori, quòd iniquo ipsius animo obstiterit, amplis verbis gratias agat. Quam voluptatem vir bonus qualicunque offensiunculâ haud illibenter redimet, nihil morando tritum illud, *Obsequium amicos, Veritas odium parit.* Quin veriùs illud Ciceronis reputando; *Molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium; sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit.* Et quod apud Plautum est;

Amicum castigare ob meritam noxiam
Immune est facinus, verùm in ætate utile
Et conducibile.

Sed observat diligenter, ne eâ castigatione sua potiùs commoda aut victoriam sectetur, quàm reprehensi salutem. Quapropter etiam 4. ad temperandam reprehensionis acerbitatem, dat operam, ut cor-

corrigendus sentiat, sese ab ipso amari, & reprehensionem ab animo sibi quàm optimè cupiente vicemque ejus dolente proficisci, atque cognoscat, Censorem suum reprehensione non delectari, sed invitum ad eam adigi. Quantum potest famæ & pudoris ejus, qui deliquit, rationem habet, contemptûs suspicionem vitat, conviciis abstinet, delictum morosè non exaggerat, ex imprudentia & imbecillitate veriùs quàm malitiâ peccâsse mavult credere & dicere, nisi ubi res ipsa & emendationis ratio aliud postulant. Obliquè etiam, & velut aliud agens nonnunquam amici vitium tangit, *communicationis* schemate utens &c. Optima verò est reprehendendi ratio, si Censor vitam aliis suam ipsa diversitate exprobret. Alioqui auditurus illud;

Turpe est Censori cùm culpa redarguit ipsum.

5. Decorum ubique observat, quid cuique personæ conveniat, cautè expendens: aliter cum patre, aliter cum filio, aliter cum fratre: cum notis aliter, aliter cum ignotis agit. 6. Monitúrus temporis captat opportunitatem: nec tùm facilè quemquam reprehendit, cùm animô alias ob causas ita est turbatô, ut reprehensionem vix patienter laturus videatur. 7. De re nihili rixari non sustinet, nec pertinaciter sua defendit, verùm quoad honestè potest, libenter aliis cedit: contentiosa voce non utitur: loquendi vices servat, alienos sermones non interturbans, nec ad primum quodque verbum, quid alter dicere voluerit, divinans, aut responsione præpropera, quæ alter dicturus erat, occupans. 8. Mœstos solatur, dubios ac vacillantes erigit, animumque illis addit: consilii & opis suæ indig-s lubens succurrit, officiorum cultu pro re nata de quovis quàm optimè mereri paratus. 9. Nec vultu tristem, nimisve severum, sed serenum potiùs

tiâs ac permiſtâ gravitate blandum, nec aditu difficilem ſe præbet: libenter ſalutat, &, ut verbo dicam, *Mitio* eſt, non *Demea*.

II. Humanitatis denique, partes dicam, an officia? ſunt *Hoſpitalitas*, *Comitas*, *Affabilitas* & *Officioſitas*. Per *Hoſpitalitatem* benevolè & officiosè afficimur erga peregrinos, non ſolùm quòd homines ſunt, verùm quòd quibus commodis domi ſuæ fruerentur, nunc peregrè abſentes deſtitui poſſunt. Eam peculiari ratione Chriſtianis commendat religioſa Sanctorum communio: de qua multa eſt Scriptura S. Per *Comitatem* homo hominem ex communi humanitatis ſenſu blandè benignèque in congreſſu alloquitur. Per *Affabilitatem* adeuntes & alloqui parantes facilè & benigniter excipimus. Per *Officioſitatem* nos pronos ſignificamus & præſtamus ad officia quæque honeſta, & quæ faciendi poteſtas ſit, aliis exhibenda.

III. *Inhumanitas* vitium eſt illorum, qui iſtum humanitatis ſenſum exuunt, nullam in alios benevolentiæ & officioſitatis curam gerentes, dicta factaque aliorum reprehendere amantes, vultu triſtes, aditu difficiles, *agreſtes*, *ſævi*, *parci*, *truculenti*, *tenaces*: ubi ad caſtigandum accedunt, *tuberibus propriis offendentes amicum*. Quò etiam referas contendendi & quidvis contradicendi ſtudium cum primis eorum, qui de re levi, tantùm non nihili, acri voce, clamoſa actione, diſputant, ſua pertinaciter defendentes, ut ne victi quidem de ſua ſententia facilè diſcedant, aut ſe victos fateantur. *Nimium placendi ſtudium* eorum eſt, qui ſic animum inducunt, ut ille apud Comicum;

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, Ter. Eunuch. 2. 2.
Nec ſunt. Hos conſector: hiſce ego non paro, me ut rideant,

Sed

Sed eis ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: postremò imperavi egomet mihi,
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multò uberrimus.

Sic constitutum illis, qui vel *è flammis petere cibum* possunt: & commodi sui causâ *nutum divitis horrent, ejus iterant voces, & verba cadentia tollunt.* Qui autem placendi studiô modum excedunt, non lucri sui, sed offensionis evitandæ, & benevolentiæ captandæ causâ, simpliciter ἄρεσκοι dicuntur.

CAP. XI.

Appendix de Officiis Justitiæ relativis.

§. 1.

Officia homini adversus hominem præstanda è duplici quasi fonte, nimirum, vel ex communi obligatione, quâ Creator universos homines, hactenus naturâ æquales, inter se devinctos voluit: vel ex certo instituto & statu adventitio, dimanant.

Ista cuilibet erga quemlibet obeunda: hæc quibusdam in quosdam, intuitu conditionis, quam peculiaria ferè jura comitantur, facienda incumbunt. Unde illa Absoluta, *hæc* Hypothetica *&* Relativa *vocari possunt.*

Status adventitius, in quo homo factô quôpiam suô antecedente constituitur, è Societate pendet, quam homines

mines cum hominibus, sic ducente natura, impellente utilitate & exigente officio, diversam inire & colere solent. Atque hæc est Societas humana tantùm & temporaria: quæ ut affectu trahente coit, sic bonorum peritutium communione subsistit, & finem proximum non nisi vitæ præsentis commoda habet.

Verùm præter hanc est alia quædam Societas Religiosa & æterna, quæ duce non affectu, sed spiritu & verbo Dei initur, fide, spe & charitate continetur, verorum bonorum communione sustentatur, finem habens beatam immortalitatem in communione Dei consequendam.

EXPL.

1. Hactenus de Officiis Justitiæ *absolutis*: sequuntur *relativa*. Ad illa quique ex æquo inter se viventes; ad hæc singuli pro ratione status œconomici, politici &c. tenentur. Atque hinc usitata nonnullis Authoribus Justitiæ in *Ethicam*, *Oeconomicam* & *Politicam*, divisio. De officiis Justitiæ relativis, quantò fieri poterit brevitatis studiô, dicendum superest.

2. Status hominis adventitius, unde officiis illis relativis origo est, è varia hominum consociatione pendet. Id equidem fateor verum, nos vix ullo virtutis & probitatis profectu ferè in hominum societate versari, quippe qui ut plurimùm non tantùm exempli, sed & linguæ contagiô nocent: Hominum sermone, qui societatis conciliator est, usque adeò corruptô, ut loquentes nil nisi pravas de rebus opiniones, rerumque sensibilium amorem parùm cautis instillent atque concilient. Plus tamen periculi ab eorundem est exemplo, quippe quod sermo quidam veluti animatus est, omni persuasione efficacior & vi secreta animum vincens & expugnans. Sæpè

Sæpè quidem usuvenit, ut homo aures intendat in ea quæ dicuntur, neque tamen animum inducat suum audita facere: interim usque adeò ad imitationem propendet exempli, ut αὐτομάτῳ, machinali velut impetu corporis, ad faciendum feratur, quod alios videt facientes. Causa quidem non est, cur tenearis facere, quod alter dixerit, id licèt ipse non fecerit. Nî tamen idem vivendi mos tibi fuerit, illicò te sancta scil. societatis jura violâsse & pacem turbâsse audies, imò quasi schismatis author, qui singulari & insolente vitæ institutô dissidium velis inter homines, in omnium odia incurres. Nihilominus ipso naturæ ductu & indigentiæ nostræ sensu ad societatem colendam rapimur: ne jam dicam, charitatis lege vetari nos, vivere singulos & segreges. De quo satis dictum suô locô.

3. Societatis colendæ officia præceptis de *Amore, Existimatione & Honore*, qui personæ & meritis cujusque conveniat, atque *Reverentiâ* adversus superiores, generatim comprehenduntur. Quorum principia, ut & necessitatem societatis cujusvis colendæ, videsis suprà, *Part. I. Cap. 3. & Part. II. cap. 9.* Id præcipuè hîc tenendum, *Humanæ Societati*, qualis est *Domestica*, *Civilis* &c. *Religiosam* semper pro fine propositam oportere: atque adeò, illam eò tibi, mihique esse quærendam, ut hujus colendæ & augendæ sit occasio: & in id quàm maximè incumbendum, ut quantum in nobis est, & nobis & aliis æternam comparemus felicitatem. Hoc præcipuum charitatis officium, conglutinandæ societatis religiosæ vinculum, proximo debes. Domestica & Civilis societas sylva est, manu Creatoris & Conservatoris omnium plantata, Christo humani Generis restauratori, materiem ædificandæ Ecclesiæ, quæ Sanctorum societas est, suppeditans. De quibus accuratiùs Theologi.

§. 2.

Societas humana & temporaria alia Oeconomica est, alia Civilis.

Illa Justitiæ Oeconomicæ, hæc Justitiæ Politicæ Officiis continetur.

Officia Justitiæ Oeconomicæ sunt, quæ Paterfamilias uxori, liberis & famulis: & hi vicissim illi præstare tenentur.

Officia Justitiæ Politicæ sunt, quæ Princeps & Magistratus subditis: hique illis invicem debent.

EXPL.

I. Officia ista explicationis locô summatim enumerâsse sufficiet, prolixiore commentatione Authoribus Politicis & Theologis relinquenda. *Patrisfamilias* in genere hæc sunt. 1. Uxorem perinde ac seipsum amare. 2. Familiæ necessaria, non ad præsentem modo vitam commodè tolerandam, sed & futuram in æterna Cœlitum societate consequendam, prospicere: atque ideò 3. Liberos & famulos præceptis ex verbo Dei & exemplô vitæ ad virtutem & obsequia bonæ mentis, non sensûs, affectûs & corrupti moris seculi, formare, ducere, assuefacere. 4. Mala exempla quàm maturrimè supprimere, aut domo exturbare. 5. Familiam mansuetè & clementer tractare &c. *Familiæ* è contrario est, pronô eundem obsequiô & observantiâ colere, nec temerè cum illo, in re licèt paulò justiore contendere & altercari.

II. *Principis & Magistratuum* est, 1. Subditos, eorundemque rem à vi & fraude defendere. 2. Æquis legum sanctionibus universorum tranquillitati & singulorum securitati cavere. 3. Nihil libidine adversùm leges Imperii fundamentales in fraudem refer-

reſervatæ populo libertatis ſtatuere. 4. Præmia Virtutis & munera publica dignis tantùm & idoneis decernere. 5. Pœnas delictis ita attemperare, ut non ſolùm pœnæ meritum, ſed etiam utilitas ex pœna, attendatur. 6. Non ſatis proviſum putare ſubditis, niſi curâ ſuâ & ſollicitudine juſta primùm amplexi fuerint, quæ ad pietatem, religioſam ſocietatem & æternam ſubditorum ſalutem pertinent. Vice verſa *Subditorum* eſt. 1. Cùm jure ex ſuopte arbitrio vivendi ſeſe abdicârint, & jus ſe ſuaque defendendi in ſummum Imperantem tranſtulerint, ei proinde & legibus parere. 2. Sumptus adminiſtrandæ Reip. neceſſarios liberè & alacriter ſuppeditare. 3. Periclitanti Principis & Patriæ ſaluti ſumptis armis promptè ſuccurrere. Hæc porrò officia, quà domeſtica, quà civilia, utriſque in utroſque facienda incumbunt ex amore Veritatis, ut communem Patrem & Dominum in cœlo habentibus.

CAP. XII.

De Prudentia.

§. 1.

Actionum ex Virtute, ſeu Amore veritatis ſuſcipiendarum Moderatrix eſt Prudentia, in Attentione, Circumſpectione, Providentia & Diſcretione conſiſtens.

Expl.

I. Hactenus de Virtutis natura & officiis: nunc quia Virtutis laus omnis in actione conſiſtit, diſpi-

dispiciendum, quomodo actiones vitæ dirigi, & suis temporibus dispensari oporteat. Quod ipsum Prudentiæ negotium est. Unde *Virtutum Moderatrix: Rerum mensura: Humanæ vitæ auriga;* & *vivendi ars*, dicta est Philosophis.

II. Prudentiam in *Attentione*, *Circumspectione* &c. veluti partibus eam absolventibus constituimus. Vir prudens *Attentione* actionis normam; *Circumspectione* actionem ipsam, ejusque circumstantias; *Providentiâ* actionis successum & eventum; *Discretione* denique verisimilitudinem rerum &c. intuetur.

III. Ex *Attentione* pendet Σύνεσις *Intelligentia*; quâ quis abdicatis sensuum & affectuum præjudiciis, quod cujusque rei verum est, vel ipsemet facilè assequitur, vel ab aliis probatum amplectitur. Ex *Circumspectione* pendet Δεινότης *Solertia*, sive ingenii dexteritas, in mediis celeriter inveniendis & ad destinata applicandis, spectata. Ex *Providentia* existit Εὐβουλία *felix consilium*, quô id, quod optimum & profuturum deprehenditur, ut quidem fert occasio, prosequendum statuitur. Ex *Discretione* est Εὐστοχία & γνώμη, quibus Vir prudens medium illud & decorum in actione qualibet tenendum rectè conjectat, & quod deliberandum offertur ex æquo & bono dijudicat.

§. 2.

Prima Prudentiæ Pars est Attentio animi 1. ad regulam vitæ, quæ est, non sensus & affectus, non mos & exemplum vulgi: sed Veritas, quam Virtus amplectitur è Verbo Dei, Ratione sive Conscientia, Legibus & Institutis Reipublicæ. 2. Ad facta præteriti temporis. 3. Ad facultatem è rerum agendarum momentis metiendam.

Expl.

I. Attendendum est Prudenti primùm ad *regulam vitæ*, ad quam actio quælibet componenda. Quo casu pictorem imitatur, qui defixis in πρωτότυπον oculis, similem illo prospectu picturam efformat. Regulam porrò vitæ dirigendæ Prudens eligit non sensum, non affectum &c. quibus qui auscultant, *plus ex alieno jecore sapiunt, quàm ex suo*: & ut alter ait, *foris sapiunt, sibi non possunt auxiliarier*: scilicet in alienis negotiis oculati satis & consulti, in suis cæci & temerarii: sed Veritatem, quam virtus amplectitur. Qua de re dictum nobis, ubi de Diligentia, suprà Part. II. Cap. 2. §. 1. Unde constat, veræ Prudentiæ non aliam, quàm virtutem ipsam esse matrem: quod agnovit etiam Cicero; lib. 1. de Legib. *Nam cum animus, cognitis, perceptisque virtutibus, à corporis obsequio, indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis ejecerit, tum suis omnibusque naturâ conjunctos, suos duxerit, cultumque Deorum & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona diligenda, & rejicienda contraria: quæ virtus ex providendo est appellata Prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius?*

Addi-

Addimus illud; Prudentem nôsse *leges & instituta Reip.* cujus se civem profitetur. Suum enim intelligit esse officium, ut iis, quatenus salvâ conscientiâ & absque justa bonorum offensione potest, obtemperet & sese accommodet.

II. Attendendum deinde Prudenti *ad facta præteriti temporis*, ut, quo successu hoc illudve olim ipsemet vel alius, egerit, & quid hanc illamve actionis circumstantiam fuerit consecutum, probè memor, nunc quid simile ejus agere paranti exspectandum sit, eò feliciùs animô providere possit. *Usus enim magister egregius, & hactenus omnium magistrorum præcepta superans* Ciceroni dicitur. Et rectè Comicus;

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, Terent. Adelph. 5. 4.
Quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat: ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et, quæ tibi putâris prima, in experiundo ut repudies.

III. Denique attendendum Prudenti ad vires, & libranda rerum agendarum pondera, ne subeat laborem, cui ferendo non sit: & quod aggressus est temerè, magnô suô malô deserat, ludibrio futurus aliis. *Quis ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius considens computat impensam, an habeat, quæ ad ejus perfectionem pertinent* &c. Luc. 14. 28. &c. Ita se comparat Prudens, ut sibi dicere liceat;

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Ut *vis consilii expers mole ruit sua*, sic vana est sine viribus Prudentia. Porrò etiam in id maturè tibi incumbendum, ut claram veri & falsi notionem, certamque faciendorum & fugiendorum intelligentiam pares, ne ubi præceps urget occasio, quid faciendum sit, nescias.

§. 3.

Secunda Prudentiæ pars est Circumspectio, quâ Prudens actionem ejusque circumstantias eum in modum contuetur, accurat & ordinat, ut per omnia cum regula congruant.

EXPL.

I. UBi normam agendorum & facultatem non indiligenter expenderis, proximum est, ut actionem ad eam compares, atque eapropter omnes circumstantias animo circumspicias, quippe quarum varietas ad actiones distinguendas plurimum valet. Quod enim in his honestum & licitum est circumstantiis, idem in aliis turpe est & illicitum. Sontem capitalis criminis convictum interimere licet Magistratui, non item privato. Hic loci noctu sine face in publicum prodire licet cuivis: secus, ubi ea de re cautum est lege.

II. Circumstantias prudenti circumspiciendas vulgatissimus habet versus;

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando?

1. *Quis*, denotat personam & conditionem agentis. De actione quæ in disceptationem vocatur, primùm illud quæri solet, *Quis* egerit? Magistratum gerens, an privatus? Dives, an pauper? Nobilis, an ignobilis? Peritus rerum, an rudis? &c. Quod enim huic, non itidem illi, & vicissim, in eodem actionis genere licet. Pauper, verbi gratiâ, accipere potest à multis, quod sine aliqua turpitudinis nota accipere non licet diviti. Tutor & pupillus idem si faciant, non est idem, ubicunque conditio pupilli dete-

deterior reddi potest. Unde Prudenti symbolum, *Nosce teipsum.* Item, *Tuo te pede metire.* Cujus non immemor alia atque alia, prout occasio fert, agenda, vel omittenda, videt in suo prototypo, sive regula vitæ, quam identidem contemplatur.

2. *Quid*, actionem suscipiendam designat, & opus, quod eam consequitur. Exempli causâ: Deliberas, hôccine cœlô utar, animi gratiâ prodeambulaturus, an domi manens studiis incumbam? Dabone Titio stipulanti centum &c. annon? Ubi tenendum Prudenti tritum illud & in vita verè utile, *Ne quid nimis.* De quo alibi nobis sermo fuit.

3. *Ubi*, locum & personas actionem circumstantes significat. Plurimum interest, in publico quid facias & multis consciis, an in secessu & remotis arbitris; inter doctos & intelligentes, an inter idiotas & rudes? &c. Cùm non sit obscurum, non idem semper ubique & apud omnes laudabile vel vituperabile futurum. Seneca hoc Prudentiæ præceptum etiam iteratò commendat animo affigendum; *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Hoc, inquit, Epicurus præcepit, custodem nobis & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. Hæc ille. Malim ego, tibi mihique, ubi demùm cunque locorum agamus, illud obversari animo, *Deus videt.* Cujus pervigiles oculos nulla vel abstrusissima mentis humanæ cogitatio fugere potest. *Omnia sunt nuda & resupinata oculis ejus.* Et verissimè Seneca alibi; *Quid prodest*, inquit, *ab homine esse secretum? Nihil Deo clusum est. Interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* Id, inquam malim, ne au-

Epist. 11. & 25.

Heb. 4. 13.

Epist. 83.

thoritatem humanam & Lesbiam vanitatis regulam potiùs quàm unam Dei legem in agendo sequi assuescamus.

4. *Quibus auxiliis*, designat media, quæ fini consequendo adhibentur. Ea verò, si hactenus per se bona fuerint, tùm demùm optima erunt, ubi intentio nostra & finis pari bonitate commendari poterunt. Contrà, ubi media mala esse contingit, non ideò bona fient, quia finis est bonus. Dare & opem ferre inopi, utique bonum est ex se: idem verò facere, ut eum subornes falsum testem, aut immittas percussorem innocenti, pessimum est.
Joh. 16. 2. Sic ex adverso, cultum præstare Deo, pium est & bonum in se, sed eo fine in promiscuam exardescere necem Christianorum, haud dubiè damnabile est. Unde axioma Ethicum; *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: nec bona sunt, quæ fiunt, ut inde dem eveniant mala.* Heic Prudenti symbolum esto; *A minimis maxima.* Cujus usus in bonis pariter & malis minimè spernendus est. Eo namque monemur, ut ne media, quantumvis abjecta parvique momenti videri queant, facilè repudiemus, quippe quæ sæpe ad finem longè nobilissimum conducant. Particulam temporis diurni decidere, studiis Ethicis quotidie impendendam, leve videatur: conducit tamen ad finem assequendum, quo non nobilior alter, virtutem puta, & sapientiam. Ejusdem quoque symboli usus non minor est in malis, ut quòd à levissimis peccatis, ubi nihili fiunt, facilis est gradus ad scelera gravissima. Id docet furis illius Æsopici exemplum, qui ultimò suppliciò pœnas daturus, matri osculum per simulationem offerens, & quasi extremum vale dicens, nasum ei mordicus abripuit, additâ increpatione, Si, cùm primùm ego puer libellum à sodali meo abstuli, meritas tibi pœnas dedissem, si verbis & verberibus, ut par erat, furunculum objurgâsses, res mihi non ad restim venisset.

5. Cur

5. *Cur* denotat finem, quem agere volenti præstitutum oportet, intellige, *finem cui & ultimum*, qui alius esse non potest, quam Deo & veritati obedire. Hic indesinenter animo obversetur illud, *Hoc age*: vel *age quod agis*: id est, tantum facito præcisè, quantum finis postulat, secùs si facis, nimirum plura, quàm quæ ad finem pertineant, amplexus, in tantum à fine deflectis, & alias res agis. Quemadmodum Viator, quamdiu rectâ pergit, quò iter habet, tamdiu *hoc agere*, vel *quod agit, agere*, dicitur. Quòd si prædiorum objacentium amœnitate, nemorum umbris, fontium scatebris, aliorumque diverticulorum deliciis & obviorum fabulis detentus, in via hæret, tùm verò aliud agit. Media igitur cum fine sunt commetienda, ut nec citra finem consistas, nec ab eo deflectas, nec rursus ultra eundem procurras. Exemplo sit illud; Vivere te jussit Deus: certumne est, ei obedire? Agedum tantum vivere velis, quantum ille jussit. Proinde si adversa ingruant, cave, injussu ejus excas: si mors occupet, noli vitam exoptare longiorem. Porrò quia vivendum est, honesta ratione necessaria vitæ subsidia parabis, edes, bibes &c. sed præcisè quantum ad id unum satis est: nec ad majora incitet ambitio, nec infra id quod debes, contineat ignavia. Cumprimis cave, ne delectamenta quatenus sensui, in mediis ita obhæreas, ut perversa agendi ratione, quod medium est finem facias, & vice versa.

6. *Quomodo*, agendi modum definit. Ut rectè vel secus agas, non parùm refert, languidè an ferventer; jocò an seriò; simulatè, an sincerè, agas? Ut potissima verbò complectar, Prudentis Viri proprium est illud, *Seriò & Sincerè*. Seriò agit, qui diligenter, cordatè, deliberatè, non languidè, non per jocum, agit: qualem Viri boni actionem oportet esse omnem. Non, quòd jocari, ludere, ani-

animum remittere &c. suâpte naturâ sit malum, sed quòd hæc ipsa, dum à Prudente & Viro bono fiunt, mutatâ quodammodo naturâ, ludicra esse desinant, & quàm maximè seria fiant. Gratiis subinde litandum est, deambulandum, jocis amicorum & salibus indulgendum, & ferè dixeram, desipiendum, sed, ut ille ait, *in loco.* Rectò nonnunquam animus in hæc ludicra recedat, ut collectis dein viribus, & velut cursu concitatus, tantò fortiùs, longiùsque saltu se transmittat in seria. *Danda est*, inquit Seneca, *remissio animis: meliores, acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas: ita animorum impetus assiduus labor franget. Vires recipient paullùm resoluti & remissi.* Jocari igitur, ludere &c. tali mente, non jam est jocari, ludere &c. sed officium virtutis facere tàm seriò, tàm cordatè, quàm cùm maximè. *Sincera* quoque & sine fuco est Viri Prudentis & Boni actio, quippe quam non aliam forinsecus videri vult, atque intus animô est concepta. Neque verò est, cur quidquam simulet, quandoquidem & quod agit bonum est, & procul studiô placendi hominibus, soli Deo & Veritati obedire decrevit. Neque, si quando Vir prudens nonnulla celat & silentiô premit, vel facta improborum non semper reprehendit, & nec dictô nec factô contravenit, illicò fictè & dissimulanter facere, & ipsorum nequitiæ consentire dicendus est. Plurimum enim interest inter celare veritatem & mentiri; nequitiam alicujus probare, & eidem non contravenire. Enimverò in loco celare veritatem, sævitiæ tyranni ad cædem innocentium grassantis non intercedere privatum saltem in Republ. Prudentiæ est. Mentiri tamen & nequitiam improbi probare, adjutare, non impedire ubi commodè possis, & per officium debeas, à Viro prudente alienissimum est.

De Tranq. Animi cap. 15.

7. *Quando,*

V 7. *Quando*, denique tempus significat actioni dandum. Atque hic Prudenti velut Symbolum est illud; *Deliberandum est diu: exequendum citò*. Quod docet, non agendum esse, prius quàm maturè deliberaveris, actione ejusque circumstantiis circumspectè perpensis, quoad per tempus, rerumque deliberandarum naturam fieri potest: quod verò semel deliberatum & constitutum fuerit, incunctanter exequendum; eoque non committendum, ut per segnitiem nostram præsens occasio, elabatur. Ea igitur, cùm fronte sit capillata, retrò calva, ut primùm sese dat, arripienda, & si desit, re decreta moram non ferente, non jam exspectanda, sed captanda & provocanda est. Optimè Sallustius; *Nam & priùs quàm incipias, consulto: & ubi consulueris, maturè facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* Bell. Catilin. cap. 1. Cæterùm utut hactenus rapienda sit occasio, cavenda tamen, quantum pote, festinatio, comites habens errorem & pœnitentiam. Etenim *sat citò, si sat benè*. Porrò etiam in mediorum usu is tenendus est ordo, quem ipsa mediorum natura fert: ut nimirum mediorum quodque, quò simplicius est & à fine remotius, hôc etiam priùs cæteris adhibeatur. Deinde uno actionis tempore consilia sunt exequenda, non parergis interpellanda, retardanda, nedum revocanda. Incidunt quidem sæpè agenda, quæ bonane sint, an mala, nulla lege diserta agnoscas, & præterea differri non patiantur, quo casu illud prudenti sequendum, quod optimum fuerit visum, & in eo, quod adhibita possibili diligentia tale judicaverit, indubitanter persistendum. Quô pactô, quod sui erat officii fecisse persuasus, animum anxietate & sollicitudine, quâ torqueri solent infirmiores, expediet. Rursum si talia incidant, quæ mentem velut in æquilibrio hærentem detineant, eam ne minimo quidem momentô in alterutram partem impellente; alterutrum

terutrum tamen perspecto æquali rationum pondere Prudenti Viro citra ulteriorem hæsitandi moram eligendum, & quod semel elegerit, non ampliùs ut dubium, quantum attinet ad praxin, sed ut verum & certum habendum est, ne cunctanti & intempestiva dubitatione tempus extrahenti occasio agendi pereat.

§. 4.

Tertia Prudentiæ pars est Providentia, quâ Vir Prudens actionis eventum, atque adeò quid ex ea tùm sibi, tùm aliis futurum sit, animo prospicit.

EXPL.

I. EX præteritorum reminiscentia, & præsentium circumspectione pendet etiam futuri prospectus. Benè Comicus,

Ter. Adelph. 3. 3.

Istuc est sapere, non, quod ante pedes modo est,
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

Hanc præcipuam Prudentiæ laudem Ciceroni tribuit Corn. Nepos in vita Attici; *Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam sunt editi, 16. Volumina Epistolarum &c. quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus Reip. perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat: & facilè existimari possit, Prudentiam, quodámmodo esse divinationem.*

II. Quapropter Vir Prudens in id intentus est,

1. Ut quæ impedimenta consiliis obesse, & quæ incommoda nobis aliisve ex actione *hôc locô, hoc tempore, hôc modô* &c. suscipienda provenire queant, quoad potest, prævideat. Hic utile verbum Comici,

ci; *Pol cavere, quàm pœnitere præstat.* Et, *Quod cavere possis, stultum admittere est.* Quare neque nimiò εὐροίας, sive felicis successûs desideriò & moræ impatientiâ, judicium in deliberando, & industriam in exequendo præcipitat. *Lætis Prudens non credit*, inquit Sen. *omnem fortunæ licentiam in oculis habet, tanquam quicquid potest facere, factura sit.* Neque igitur, si omnia præmeditatus successum ominetur prosperum, nimiùm fidit, non ignarus, animi præfidentis spem sæpè deludi. *Qui multa agit, sæpè fortunæ potestatem sui facit, quam tutissimum est rarò experiri, cæterùm semper de illa cogitare, & nihil sibi nihil de fide ejus promittere. Navigabo, nisi quid inciderit: & prætor fiam, nisi si quid obstiterit: & negotiatio mihi respondebit, nisi si quid intervenerit.* Epist.78. Sen. de Anim. Tranquill. cap. 13.

2. Ut caveat scandalum, hoc est, ne dicat, vel faciat, quod alteri occasio peccandi esse queat, vel mœstitiam inferat. *Scandalum*, ut non inscitè Tertull. *nisi fallor, non bonæ, sed malæ rei exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem.* Unde aliud *Datum*, aliud *Acceptum* dicitur. *Datum*, est scandalum ortum ex culpa ejus, qui illud objecit: atque adeò semper conjunctum est cum gravi peccato dantis, naturâ quippe suâ in aliorum offensionem & ruinam tendens: etsi bona mens, firmò fidei virtutisque præsidiò munita, non offendat. Quæ verò in scandalo *accepto* culpa est, ea accipientis est, nisi ubi promiscuus rerum per se non illicitarum usus offensioni esse potest parùm firmis. Viri Prudentis & boni est ab utroque scandali genere sibi cavere. Cùm enim id unum studio habeat, ut & ipse & alii Deo veritatique obtemperent, cautè providet, ne quam alii homines ex eo, quod agendum suscipit, peccandi occasionem arripiant. Unde sæpè omittit, quæ facere cæteroquin ipsi integrum esset, quando videt, aliis ea fore offendiculo. De scandalis verò, quæ ex mera accipien- De vel. virg. c. 3.

pieutium malitia proveniunt, non est, cur laboret
Rom. 14: 5. vir bonus, *ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορηθεὶς*, *in suo sensu certus*. Novit enim, Veritatis amorem, quem sibi legem dicit, deserendum fore, si hominibus, quàm Deo, placere & obedire malit.

§. 5.

Discretio, quarta eaque subtilissima Prudentiæ pars est, occupata in distinguendis bonis & malis, maximè autem, verisimilibus, quæ prima fronte & vulgi judiciô aut eadem, aut certè affinia sunt, penitiùs tamen inspecta tantô distant intervallô, ut alterum bonum, alterum malum deprehendatur.

E X P L.

I. Quia vir bonus unum veritatis amorem amplexus, in opinione, rerumque verisimilitudine non acquiescit, id operam dat, ut quæ veri vel boni specie imponere possunt incautis, accuratè discernat. Atque hîc, quæ regulæ Prudentiæ instituto ejus serviant, tantisper exposuisse, operæ pretium fuerit.

II. Quia deliberatio in constitutione finis & disquisitione mediorum versatur, usus discretionis in hac posteriore insignis est; Prudenti enim consideranda sunt mediorum *qualitas* & *numerus*, ut ubi plura se offerunt disquirenti, justum habere queat delectum. Quod ad *qualitatem* attinet, dispiciendum est, honestane sint, an turpia; utilia, possibilia, facilia &c. an contrà: itemque facta comparatione, quæ quibus meliora, faciliora &c. ut hæc contrariis rejectis eligantur. *Numeri* quoque mediorum habenda est ratio, cautè reputando, paucisne an pluribus obtinendo fini sit opus. Rem enim destinatam æquè commodè conficere valenti per pau-

ca, pluribus non est utendum: quia in multitudine confusio & lapsus est facilior.

III. Ne verò, ubi obscurior est mediorum qualitas ex verisimilitudine rerum locus fit deceptioni, Prudens observat

1. *Sæpe permitti posse, quod committere est nefas.* Vulgo inter permissionem & commissionem nihil, aut paulò plus nihilô interesse videtur: hanc tamen ab illa plurimum differre, & res ipsa & exempla docent. Si tyrannus civem innocentem ad exitium deposcat à Republica, excidium minatus, ni tradatur. Dedere eum non potest, imò ne quidem deserere, ubi sine graviori patriæ periculo defendi posse spes est: sic enim Resp. malum committeret, & tyranni sævitiam adjutaret. Interim si, quod JCtis placet, non iniquum est innocentem cogi, ut pro redimenda patriæ salute fieri patiatur, vel faciat, quod exigit charitas, licebit Reipubl. permittere (hoc est, non impedire) ut tyrannus innocentem immissis satellitibus capiat. Non abs re Theodotus de Molossis quibusdam dixit apud Livium; *Equidem pro patria* Lib. 45. c. 26. *qui lethum oppetissent, sæpe fando audivi: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inventi sunt.*

2. *Idem medium ad duos fines usui esse posse, quorum alter bonus alter malus.* Exilire è turri, cui faces subjecere hostes, usui est ad fugam ex incendio, & simul servit ad propriam necem. Atqui fugam, quippe bonam per se capessere licet: necem sibi, quippe malam, inferre nefas est.

3. *Medium, quod ad utrumque finem facit, naturâ suâ subinde priùs ad bonum, quàm ad malum finem: nonnunquam vice versa, priùs ad malum, quàm ad bonum: aut certè ad bonum finem non facere, nisi consequenter ad malum.* Ex. gr. Exilire è turri incensâ in casu dato priùs servit ad fugam, quàm ad sui ipsius necem: imò ad istam fugam facit non demùm consequenter ad necem sui. Tali mediô uti licet, quo-

ties justa subest causa permittendi, i. e. non impediendi malum, quod consequitur. Rursus, gladiô pectus sibi perfodere, facit tùm ad fugam ex incendio, tum ad necem sui: verùm priùs ad hanc, quàm ad illam: imò verò ad fugam istam nihil confert, nisi consequenter ad necem. Unde hoc genus media amplecti nefas est. Id enim qui facit, non jam solùm illicitum quid fieri, puta, seipsum interimi, *permittit*, sed etiam grave crimen *committit*, cùm nihil antiquius esse debeat lege Dei, quæ manere jubet, dum evoceris. Hinc satis expeditum est respondere quærenti; *An ob falsum crimen quæstioni subjectus rectè se reum confiteri possit, ut à tormentis liberetur?* Posse nego: quia falsi criminis confessio medium est, ad bonum finem, puta liberationem à tormentis, conducens, sed ita, ut usus iste dependeat à malo fine, extremo scil. supplicio, quod dabit judici, post criminis confessionem frustrà præsidium in innocentia sua quæsiturus. Item, *An classiariis militibus liceat accendere commeatum pulveris nitrati, certò suô & navis interitu insecuturo, ne navis in hostium imminentium potestatem veniat?* Plerumque saltem licere nego: quia vix unquam contingit, causam subesse satis gravem, quâ audax factum defendi possit. Unde etiam parata responsio quærenti; *An cuiquam liceat seipsum interficere, ne peccare, Religionem Christi ejurare, pudicitiam amittere &c. cogatur?* Item an εὔλογ☉ ἐξαγωγὴ censeri queat, *si quis videns, se deinceps victurum in probrum ipsius Dei, Manes suos anticipat?* quô pactô Hebræorum nonnulli impium Saulis, Israelit. Regis, factum nequicquam defendunt. Rectè Darius apud Curtium;

Aliena scelere, quàm meo, mori malo.

4. *Eadem circumstantiis variantibus modo lege vetita esse, modo permissa.* Ex. gr. aliena auferre etiam naturali jure prohiberi, nobis observatum est suprà, ubi

ubi de Iustitia. Cæterùm in extrema necessitate, si quis ad vitam à præsente periculo tuendam necessaria sumat aliunde, cum furtum admittere, vel quod illicitum sit facere, negant vulgò Authores gravissimi: eò quòd tali casu, non auferat rem alienam, sed communem usu suam faciat, reviviscente pristina rerum communione in casu ineluctabilis necessitatis. Ea enim conditione & exceptione facta censeri debet rerum in Dominos distinctio, ut ubi noxæ & damno foret, ibi pristina valeret communitas. Sic in navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisque habet, in commune conferri debet. Sic defendendi mei causâ vicini ædificium orto incendio dissipare possum, & funes aut retia discindere, in quæ navis mea impulsa hæret, si aliter explicari nequit. Variantibus verò circumstantiis, vel ubi par est alterius necessitas, quod ejus est, auferre non possum, ut meæ consulam necessitati: quia ipsa discretio dictat, potiorem hìc esse conditionem possidentis. Sic in communi naufragio non licet alterum de tabula, quam arripuerit, depellere, ut tute ea utaris ad enatandum &c.

5. Quia etiam in actibus, de quibus jus naturæ aliquid constituit, sæpè imago quædam mutationis fallit incautos, Prudens discernere novit inter *Jus ipsum & rem, de qua jus constituit*: illud immutabile est; hæc mutationem recipit. Ex. gr. Si creditor, quod ei debeo acceptum ferat, jam solvere non teneor: non quia jus naturæ desierit præcipere solvendum quod debeo, sed quia quod debebam deberi desiit. Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res alicujus auferri, quod exemplis Isaaci & Israelitarum vasa ab Ægyptiis commodata auferentium illustrari potest, non licitum fiet homicidium, aut furtum, quæ voces vitium involvunt, sed non erit homicidium aut furtum, quod supremo vitæ & rerum Domino auctore fit.

6. Vit

6. Vir Prudens discernit inter ea, quæ sunt *Juris naturæ Præcipientis* tanquam semper honesta, *aut Vetantis*, tanquam nunquam non turpia; & quæ sunt *Juris permittentis*, qualia non de imperatis naturæ, sed de indulgentia, non leges sed legum beneficia censentur. Quæ proinde sive omittantur, sive fiant, nihil peccatur, nisi quibusdam temporibus & occasionibus. Tale existimatur, bellum gerere in offendentes. Sic Prudens discernit ea, quæ Juris naturæ sunt *Propriè*, & alia, quæ, ut Scholæ loqui amant, Juris sunt, *reductivè*, puta per applicationem & interpretationem: sicut justa appellari solent, quæ injustitiâ carent: quale est illud, *quæ nullius sunt, cedere occupanti*: quod per se naturæ non est, sed tamen eò reducitur. Item denique alia, quæ ratio *honesta*, aut *oppositis meliora* indicat, non tamen eandem cum iis, quæ juris naturalis præcipientis & propriè dicti sunt, necessitatem inferunt, atque adeò *impropriè*, juris naturalis dici solent. Quale est, velare notas sexûs. Quò fortè referri

1. Cor. 11: 14. 15. potest illud Apostoli; *Aut an non ipsa natura vos docet, quod vir quidem si comam nutriat, turpe ipsi est* &c. Ad quæ verba Tertullianus notat; *Quæris*

De Corona militis. *igitur Dei legem? habes communem istam in publico Mundi, & in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare, ut cùm in velamine faciei*, Non natura vos, *inquit*, docet?

7. Prudentis est discernere *Dispensationem* sive *Relaxationem*, qua legis cæteroquin manentis obligatio tollitur, & *Ἐπιείκειαν*, quæ legem interpretatur, declarando, legem tali casu non obligare, vel factum ab initio mente legis non fuisse comprehensum. Sic Maccabæi in hostem pugnârunt Sabbathô, non relaxatione legis, sed vera ejusdem interpretatione, quam etiam Servator comprobavit non

Matth. 12: 11. ullô locô. *Quis erit ex vobis, qui habeat ovem unam, & si ea inciderit Sabbathô in foveam, prehen-*

sum non erigat? Et omninò *Discretionis* usus non postremus in rectâ legum & pactionum interpretatione spectatur, cujus mensura est collectio mentis ex signis maximè probabilibus, qualia sunt verba & conjecturæ aliæ. De quibus regulas benè multas tradunt JCti, ubi de Interpretatione, verborum significatione & regulis juris.

8. Prudentis est, *vera bona à falsis*, item, *quæ simpliciter bona, ab iis, quæ huic illive talia habentur, cautè discernere*, atque adeò *non opinione, non more vulgi, non sensu & affectu, sed ratione æstimare, & rebus ex natura ipsarum pretia imponere.* Eam in rem utile est, non tantùm Bonorum genera, sed & usum atque fallaciam sensuum & affectuum nôsse, ut horum errata ratione corrigi possint. De quibus omnibus abundè satis dictum, ubi de Intellectu, Affectibus, itemque de Bono & Malo.

9. Insuper quanquam nobis non tantum debeat esse fiduciæ in Ratione nostra, quin aliorum prudentum, quibuscum vivimus, consilia & actiones inspicere & sequi æquum putemus, in rebus non necessariam & evidentem honestatem involventibus; prudentiorum tamen placita ad rerum agendarum difficultates confestim expediendas audivisse non sufficit: *Discretionis* est, 1. Eorum consilia ad propriæ Rationis trutinam exigere, ut quid suô cuique judiciô statuendum sit, percipiatur. 2. Hactenus actiones prudentum potiùs, quàm consilia verbis data sequi. Etenim, ut rectè intelligamus, quidnam illi revera optimum esse sentiant, utique satius est & tutius, quid agant, quàm quid loquantur, animum attendere: cùm in hujusmodi rerum genere, de quo nobis sermo est, semper verisimilius sit, illos in suis, quàm alienis, negotiis cautiùs & meliùs consulere. Adde quòd vulgò homines ita sunt morati, ut perpauci, quid sentiant, eloqui velint. Quid? quòd hæc cautio & hoc habet commodi, ut

alienæ actionis fuccessu sapere discamus; *Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.* 3. Si tamen eorum consilia sequi necesse habeamus, *Discretionis* est, non quævis cæcô admittere obsequiô, sed *moderatissima*, tùm, quia ad exequendum facillima & ut plurimùm optima sunt; certè enim *omne nimium vertit in vitium*: tùm etiam, ut, si nos aberrare contingat, minùs saltem à via rectâ deflectamus, mediam tenendo, quàm si extremarum alterutram elegissemus cùm opposita altera fuisset sequenda. Nec temerè additum illud, inspicienda & sequenda nobis esse consilia & actiones prudentum, *quibuscum vivimus.* Cur enim in Europa degens Persarum vel Chinensium mores sequar, etsi forte apud illos sint, qui prudentiâ nostratibus præstent? Unde, quanquam ad virtutem non magni interesse videatur, qualis sit corporis cultus, quales vestium moduli, quales salutandi & compellandi ritus, qualia reverentiæ signa &c. in iis tamen à moribus regioni vel civitati, in qua vivimus, vulgò receptis nulla necessitate recedere, & peregrinos, licet fortè commodiores & concinniores, imitari, non modò indecorum, sed etiam parùm prudentis est: cùm id fieri non possit, quin alii vernaculi moris amantes, ea novitate non tantùm offendantur, sed etiam se vituperari, vel saltem sperni, credant, ipsi verò modorum novatores ineptæ novitatis typho, quasi plus aliis saperent, superbire videantur.

10. Ad eandem denique prudentiæ partem pertinet, *dignoscere characteres & signa*, quibus animi habitus & affectio in verbis, vultu, gestu, vitæ instituto atque tenore se produnt: quod studium ad captandam rei benè gerendæ opportunitatem, maximè verò in congressu hominum, magno usui est. De quo nonnihil suprà, ubi de *habitu animi*, Part. I. Cap. VIII. Juvat eam ad rem legisse Characteres Theophrasti.

CAP.

CAP. XIII.

De Virtutis acquirendæ adminiculis in genere.

§. I.

Illud sæpè quæsitum Philosophis antiquis; *An virtus hominibus obveniat consuetudine, an naturâ, an divina quadam sorte?*

Quid respondendum sit juxta præcepta de causis virtutem procreantibus, suô locô tradita, nobis in promptu est: nimirum, *Virtus non solùm ex initio suo, sed etiam ex incremento spectata, divini muneris est: Deus, qui bonum opus cœpit in nobis, idem etiam perficit, gratiæ auxilium & ardorem ministrans, ut ingressi virtutis iter, constanti cursu persequamur, & viam hanc crebrò calcantes majores usque & usque progressus faciamus.*

E X P L.

1. HActenus de Virtute: nunc quod superest, dispiciendum de virtutis comparandæ adminiculis: quâ parte, quàm fieri poterit brevissimè defungemur, quia passim multa nobis dicta, quæ usui esse possunt ad hoc institutum.

2. Non temerè quæsitum Philosophis, ut Platoni, Aristoteli, aliis, *an virtus hominibus obveniat consuetudine, an* &c. ut de virtutis acquirendæ adjumentis rectiùs præcipere possent. Sunt autem, & fuere jam olim, qui ab altera quæstionis parte majorem in modum abhorrent, ut qui plurimum præstantiæ & perfectioni humanæ naturæ decessurum *In Menon. Nicom. l. 10. c. 10. Eudem. l. 7. c. 14.*

autument, si quis naturâ, vel divinô quôdam fatô bonus foret, eò quòd necessariò, non suô arbitriô, neque adeò ulla sua laude, bonus futurus esset. Sic scilicet libertati voluntatis humanæ & laudi virtutis malè metuunt, qui hæreditariam illam & insuperabilem indolis humanæ pravitatem & verum virtutis ingenium ignorant. Ergone Deum minùs adorabilem putabimus, quòd necessariò Optimus est? Et si quis mortalium divinò quodam fatò, vel naturâ bonus tàm vivido & efficaci sensu honestatis esset imbutus, ut perinde impossibile foret, ipsum contra hunc sensum quicquam committere, ac hominem sanæ mentis, nec ullis oppressum calamitatibus seipsum pugione transfigere; eum ne quavis laude dignissimum, & veluti heroem, Deorum stirpe prognatum, negabimus? Quemadmodum Homerus, Aristotele citante, Priamum de Hectore dicentem inducit, eò quòd valdè esset bonus;

Hom. ——————— οὐδὲ ἐῴκει
... c. 1. Ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

——————— *nec eum esse putares*
Mortali genitore satum, at genus esse Deorum.

3. Nec si Virtutis Authorem primum laudamus Deum, vera Voluntatis libertas, & justa Virtutis laus delibatur. Eam enim gratia divina efficaciam in animum nostrum exerit, ut nos quàm maximè volentes, atque adeò liberrimos reddat: Et virtus ipsa, quò corroborata magis est, & immota, eò plus laudis habet. Cui igitur bono, inquis, hominem hortatibus, promissis, minis &c. exstimulare ad virtutem amplectendam, si gratiæ divinæ beneficium est? *Resp.* Hortatus &c. externa sunt virtutis instillandæ organa, gratiæ divinæ non opponenda, sed subordinanda: neque enim Deus cæco

impetu

impetu non conscios vel invitos ad virtutem impellit, quemadmodum corpora alieno impulsu cientur. Enimverò gratam intellectui lucem affundit, & suaviter voluntatem flectit, adhibitis eam ad rem hortationibus, promissionibus &c. ut intelligamus, quid & quamobrem velimus & agamus. Quòd autem hortatibus illis & promissis persuasi reapse virtutinos tradimus, & recta facimus, Gratiæ Dei victoria est.

4. Quando igitur hinc gratiæ divinæ necessitas, inde adminiculorum externorum utilitas est agnoscenda, illa nobis quidem enixè ambienda, his verò sollicitè utendum est. Proinde quod unum possumus, optimis quibusque præceptis, argumentis & exemplis alii alios instruamus, excitemus & urgeamus ad faciendum, quod communis officii conscientia & recta rerum agendarum ratio postulat.

§. 2.

Præcepta de Virtute acquirenda tria sunt.
Primum Virtutem esse necessariam, evincit.
Secundum eandem esse possibilem, ostendit.
Tertium adminicula Virtuti comparandæ servientia suggerit.
Virtutis colendæ necessitatem evincunt propriæ conscientiæ sensus, communis naturæ lex, suum cujusque sibi suisque commodis prospiciendi officium, relatio denique nostri ad Deum multiplex.

Exp I.

I. QUæ menti ingenita est veri *honesti* atque *decori* notitia facit, ut quid verum falso, quid honestum turpi intersit, ubi vel parùm attendere velit, illicò agnoscat, quin imò idem agnosci, suâ quàm maximè referre persentiscat, quia illâ conscientiâ

scientiâ homini nihil propius adest, nihil præsentius, familiarius nihil. Hinc nemo hominum est, qui ad Virtutis cultum se obligari, si per ignaviam & morum pravitatem non sentiat, saltem ubi de virtute differentem audiverit, negare possit. Scilicet legem illam rationis, quæ per conscientiam se exerit, menti suæ insculptam nemo eradere, nec refingere, nedum refigere potest, quippe quæ veritatem exhibet æternam & indemutabilem, atque inextricabili nexu ad suî amorem devincit.

II. Communi lege naturæ cuncta tenentur, quæ sua, hoc est, naturæ suæ consentanea sunt, agere. Homines igitur humanam, non belluinam, vitam degere oportet. Atqui certè belluina esset hominis vita, si Virtutis rectæque rationis fructu careret. Quicquid enim infra virtutem rectamque rationem in nobis est, id non nos ipsi, sed bellua quædam est, nobis addita, quam subjugare, veroque homini obsequentem reddere debemus, si vel maximè nostram, non pecudis, vitam vivere velimus. Inde adeò prisci Philosophi, referente Philone, felicitatis humanæ finem dixere *τὸ μὲν ἀκολούθως φύσεως ζῆν, consequenter naturæ vivere.* Et Stoici alta & crebra voce ingeminant illud suum; *Idem esse beatè vivere, & secundùm naturam.* Quod Epictetus non semel extulit; *συμφώνως τῇ φύσει ζῆν concorditer naturæ vivere.*

Lib. περὶ φυγάδ. Sen. de vit. beat. c. 8. Epist. 5. & alibi.

III. Sibi suisque commodis prospiciendi officium naturæ quoque sensus unicuique ingerit. Unde non defuere Philosophi, qui dicerent, rationem carendi tùm à præsentis vitæ calamitatibus, tùm ab horrendis inferorum pœnis, certissimam esse in virtutis cultu. Id quod multis testimoniis ex Platone & aliis comprobari posset. Memorabile est illud Strabonis de Indorum Sapientibus, quos Gymnosophistas vocant; *Hanc vitam habendam esse quasi recens concepti fœtus statum: mortem verò partum esse ad eam*

Lib. 15.

quæ

quæ verè vita est, planeque beatam, iis scilicet, qui sapientiam sectati fuerint.

IV. Nostri Denique relatio ad Deum multiplex hujus tanti officii servitutem etiam gravioribus argumentis astringit. Quid enim, quòd Deus est Creator noster, Conservator, Dominus, Exemplar, Finis, Bonum, quid, postquam à vera creationis nostræ origine & lege degeneravimus, nostri per Christum redemptio, quid Sanctificatio, quid universa salutis œconomia, aliud clamant, inculcant, ingeminant, quàm virtutis cultum? *Illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in hoc seculo.* Tit. 2: 11. 12. Cumprimis verò illud nobis oportet esse persuasissimum, totam doctrinam, qua religio Christiana continetur, tùm demùm nobis fore fructuosam, si in pectus transfundatur, & in mores abiens, nos in se transformet.

§. 3.

Virtutis deinde cultum esse possibilem arguunt auxilii gratiæ promissio in Scripturis S. facta eam ardenter expetentibus; Exempla proborum, qui bono cum Deo superatis feliciter difficultatibus magnam virtutis laudem adepti sunt; Et suæ cujusque conscientiæ sensus, qui ubi perperam egimus, nos aliter agere potuisse testatur, atque turpis facti pœnitudine tantò graviùs nos affligit, quò abstinere ab illo faciliùs fuisse comperimus.

EXPL.

1. NIsi persuasum habeamus, quod hôc præceptô docemur, omne virtutis studium non modò elanguescere, sed prorsus emori, necesse est. Unde apud Philosophos inculcata distinctio, τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, *Res quædam in potestate nostra sunt, quædam non sunt.* Inter ea porrò, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, connumerant virtutem: id quod à nobis aliter admitti non potest, nisi quatenus ad virtutem acquirendam *rectè & constanter voluisse* satis est. Interim tametsi voluntate nostra nihil magis proprium habeamus, testante conscientia, quam frustrà refellas; attamen rectè & constanter velle, quod ipsum veræ virtutis est, non in potestate nostra situm, sed gratiæ divinæ munus est. Cæterùm quod maximè mirum, quibus nihil opis est in ipsis ad benè beateque vivendum, iis tamen non sunt argumenta, quibus naturæ impotentiam excusare & adversus peccati improperia conscientiam tranquillare possint: sentiunt enim, impotentiam istam, quanta, quanta est, suum esse vitium, tantò vituperabilius, quò ipsa est insuperabilior. Neque tamen, si virtutem suopte Marte

Epict. Ench. cap. 1.

com-

comparare non valet homo, ejus acquisitio desperanda est. Enimverò possibilem esse docent illi studio promissa auxilia, plurima illi servientia adjumenta, & virtutis exempla. Auxilia Gratiæ & externa illa Virtutis quærendæ adminicula non sunt dissocianda; quasi illa quidem votis expetere velis, hisce verò uti nolis. Cæterùm quid usus & exercitatio, Authore & Fautore Deo suscipienda, in hisce externis possit, sua quemque conscientia, officii religio & experientia docebunt.

§. 4.

Adjumenta Virtuti comparandæ suppeditat tùm Theologia, tùm Philosophia: quorum quæ prima putamus, tantùm percensebimus.

Primum quod Theologia suppeditat, est sui ipsius abnegatio.

UT Virtutem compares, quæ unô Veritatis amore continetur, necesse est, amorem tui, & vitia, quæ inde nascuntur, abdices. Hæc est illa nostri abnegatio, quam discipulis suis à primo tyrocinio mandat Servator. Eò pertinet 1. Imbecillitatem suam & *ἀδυναμίαν* ita agnoscere, ut homo sibi diffisus ad gratiam Dei recurrat: qui certè proximus ad Virtutem gradus, imo nonnullus in Virtutis studio profectus est. *O quantum ille profecit, qui se non suum edoctus, dominium regimenque sui propriæ rationi abrogavit, ut Deo asserat! Nam ut hæc ad perdendos homines efficacissima est pestis, ubi sibi ipsis obtemperant, ita unicus est salutis portus, nihil nec sapere, nec velle per seipsum, sed Dominum præeuntem duntaxat sequi.* Idcirco eodem pertinet 2. Sibi renunciare: quia nisi à consideratione tuî discedas, teque ipsum exuas, nec unicum Veritatis amorem tibi

Matt. 16. 24.

Calv. Instit. lib. III. c. 7. §. 1.

tibi regulam vitæ dices, in quo virtus est; necoffi-cia virtutis in Deum & proximum servanda præstabis. Quomodo enim in utraque fortuna à solo Deo pendebis, & omnes vitæ tuæ partes ejus arbitrio gubernari feres, nisi te totum Domino resignaveris? Quomodo, quæ charitatis & justitiæ opera sunt, proximo exhibebis, nisi tibi renuntiaveris, ut aliis totum te addicas? Utilissima in rem nostram
Instit. lib.3.4. 5. &c. præcepta videsis apud D. Calvinum, ubi de Vita hominis Christiani.

Secundum adminiculum, quod Theologia suggerit, est vera Fides in J. Christum Servatorem. Quam virtuti comparandæ adminiculum esse Scriptura Sacra
Act.15. 19. Gal.5.6. multis confirmat: ut quando *fide corda purgari*: *ex fide charitatem gigni* &c. testatur. Talis autem fides est, geminô suô, quod nobis præstat, beneficiô. Primùm enim in nos, Christo Salutis Authori & Præsidi hôc ipsô fidei vinculô junctos inexhaustum gratiæ divinæ fontem derivat, unde *gratiam suprà gratiam* haurientes pro suo quisque demensô, ad obeunda quælibet religionis, virtutis & professionis suæ munia idonei reddimur. Deinde fides acuendo virtutis studio gravissima quæque argumenta è Scripturis S. depromit & animo infigit. Denique fides omnia explorat, & quod bonum fuerit, retinendum, faciendumque conscientiæ intimat. Unde, quod ex fide non est, peccatum esse dicitur. *His pro tertio adminiculo accedunt fervidæ preces, quibus animus Deo devotus, suæque indigentiæ sensu tactus identidem ad Deum ceu inexhaustum bonorum fontem recurrit: Assidua deinde S. Literarum lectio & meditatio, quippe quæ discendi & proficiendi cupidum ad omnem* ἐπανόρθωσιν τῆς ζωῆς *erudire possunt: Diligens præterea Inspectio exemplorum virtutis, cumprimis Christi, in quo vitæ exemplar est absolutissimum* &c.

Arduum opus aggreditur, qui morum emendationem & virtutis cultum suscipit. Id igitur qui

tentat

tentat non authore & fautore Deo, neque adeò ejus opem efflagitat, pro vera virtute evanidam illius umbram & inane imitamentum sectatur. Hujus veritatis ne quidem paganos prorsus ignaros esse sivit ipsa conscientiæ vis. Unde Epictetus de studio compescendi affectus, *Certamen quidem magnum est*, inquit, *opusque planè divinum: Dei igitur memineris, eum invoca opitulatorem & auxiliatorem.* Precibus jungenda lectio & meditatio S. Literarum assidua, quas jam supra curæ nostræ commendatas memini eo præsertim nomine, quòd nulla Philosophorum præcepta de moribus illarum doctrinam vel millesima ejus parte æquiparant. Inspicienda denique Sanctorum exempla in S. Literis memoriæ prodita, sed eâ diligentiâ, & quotidiana vitæ consuetudine, ut non jam vivi cum mortuis, sed præsentes cum præsentibus familiariter conversari, eorumque sermonibus & gestis αὐτήκοοι καὶ αὐτόπται interesse videamur. Epicteti præceptum est, *Cùm aliquid negotii tibi futurum est cum quoquam, ipse tibi proponito, quid in ea re facturus fuisset Socrates aut Zenon. Ita fiet, ut te ratio non deficiat, qua id quod objectum fuerit, ritè administres.* Malim ego Philaretum sic apud se reputare. Quid in ea re facturus fuerat Enochus, quid Noachus, quid Abrahamus, quid alii justitiæ & sanctæ vitæ testimoniô ornati Viri in S. Literis?

Arrian. Comment. lib. 2. c. 18.

Enchirid. Cap. 51.

§. 5.

Etsi quæ Philosophi ex sua arte non pauca suppeditant virtuti sive comparandæ, sive perficiendæ adjumenta, per se nec universa, nec singula præstent, quod illi promittunt, eos nihilominus audivisse juvabit.

IN eo sanè deficit Philosophia, quòd universalem vitiatæ naturæ humanæ impotentiam vincendi, veramque virtutem acquirendi adjumenta non suppeditet, quæ nulla satis commoda habet. Utrumque cum polliceatur & præstet sola Religio Christiana, incomparabilem inde suam nobis probat excellentiam. In hanc rem egregia vide apud Lactantium Instit. Div. lib. III. cap. 26.

§. 6.

Eam in rem Philosophi præcipiunt quædam cognoscenda; quædam facienda.

E cognoscendis præcipua sunt sequentia.

1. D*Eum esse, cujus Providentiâ omnia gubernantur, cujus potestas immensa, decreta certa & infallibilia* &c.

De Deo quæ cognoscenda & tenenda sint Philareto, diximus, ubi de Pietate. Nunc quid Philosophi in rem nostram consulere possint, dispicimus.
Enchir. c. 38. Epictetus, *Religionis erga Deos immortales*, inquit, *præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones: ut sentias & esse eos, & benè justèque administrare universa: parendum esse eis, & omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum: & sequenda ultrò, ut quæ à mente præstantissima regantur. Sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis negligi te conquereris* &c.

2. Mo-

2. *Mentem humanam toto suo genere à corpore animali, cui juncta est, esse diversam, atque adeò verè immortalem, & corpori, in pulverem brevi tempore reversuro, superstitem fore.*

Animi immortalitatem & caduci corporis mortem meditando sibi familiarem fecisse, permagnam vim ad depellendum mortis metum, virtuti inimicum, & extirpandas cupiditates, quæ sola corporis incolumitate terminantur, habere existimant Philosophi. Quidni verò, inquiunt, si seriò consideres, brevi futurum, ut personam mutes, & corporis exuvias in pulvere deponas, atque insuper quæcunque ad hanc compagem conservandam, augendam & ornandam pertinent, divitias puta, honores, sensuum voluptates &c. æternùm relinquas. Proinde longè consultius fore, nos maturè à caducis & incertis desuefactos, & à societate hujus carnis divulsos, purioribus divinioribusque operationibus & voluptatibus, quæ ab illa non pendent, assuefieri. Quæ ipsa summa est Philosophiæ Platonis, quam inde *μελέτην θανάτου*, *meditationem mortis* definivit. Ergò non rectè Plinius; *Atque etiam morbus est aliquis, per sapientiam mori.* Enimverò sapit, qui in longinquum prospicit, nec præsentes voluptates infinita malorum serie occupari sinit & opprimi. *lib. 7. c. 50.*

3. *Non metuendum esse, ne, nimis magnificè de operibus Dei sentiamus, si Mundum hunc captu nostro ampliorem esse judicemus: neque putandum, fines, quos Deus sibi proposuit in creando universo, ingenii humani viribus posse comprehendi.* *Cartes. Princip. Part. 3. §. 2.*

Si universum Mundum captûs nostri limite coarctemus, cœlosque omnes non nisi terræ causâ factos, & terram non nisi hominis gratiâ productam, Hominem verò esse *parvum Mundum*, vel *Universi compendium*, existimemus, hinc proclive nobis erit, cogitare, terram hanc esse præcipuam homi-

hominis sedem, hâcque vitâ melius nihil ad nos pertinere. Inde porrò fiet, ut vera nostri cognitione neglecta, defectus, quibus ipsi nobis carere videbimur, aliis rebus creatis affingamus, insolenter nos efferamus, Deoque esse à consiliis, & mundi, quem, ut inepta opinio est, nobiscum circumferimus, divisum cum ipso imperium suscipere velimus. Unde deinceps inanium curarum & sollicitudinum nec finis, nec modus. Quapropter Philosophi, ut vel hinc animum ad modestiam formeut, universi amplitudinem indefinitam cogitare jubent, & considerationem finis operum divinorum *Virginem* dicunt *Deo sacram*, quæ nihil demonstrationis parit. Quidni verò, quæ particula sis mundi in stupenda Operum Dei Vastitate, considerans, demississimè de te, augustissimè de Deo sentias, & admirabundus omnipotentiam ejus deprædices? Abyssum verè dixeris vastissimam hanc universi molem. Tellus, mundi portio, quæ homini & omne genus animantibus data sedes est, *puncti instar habet*. Saturnus, si qua fides calculo, plus minus 10800. terræ semidiametris ab eadem distat, cujus numeri duplum ad Saturni orbitam est ut 1. ad 3. $\frac{1}{7}$ Quod si datâ Orbitæ Saturni semidiametrô semidiametrorum terræ 10800, methodô triplicatæ proportionis procedas, quot, amabò, Terras una capiat Saturni Orbita? Quid si altiùs ascendas ad ipsum fixarum Orbem, quas quidem calculus nunquam tàm longè dissitas finget, quin, multò sublimiores statui, nulla phænomena prohibeant, ecquis demum prodigiosissimum numerum, qui inde conficietur, inibit? Quid si mundo, ut debes, indefinibilem suæ molis magnitudinem assignes, quam putabis fore rationem terræ ad Mundum? Aufer maria, lacus, deserta, loca inculta &c. quantillum terræ superetit, quod in censum venire debeat. *Hæc*, inquit Plinius, *est materia gloriæ nostræ, hæc sedes*

sedes: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram. Si qui terrarum Domini Alexandro similes victricium armorum gloriam tantillô Mundi spatiolô terminari indignentur, in se dictum meminerint, quod eleganter Romanæ fidicen Lyræ; Lib. 2. Cap. 68.

Latiùs regnes avidum domando Lib. 2.
Spiritum, quàm si Libyam remotis Od. 2.
Gadibus jungas: & uterque Pœnus
Serviat uni.

Cùm fortè præamplum tibi est prædium: quantus tibi videre Dominus? Inspice mappam Geographicam, nuncubi reperias illum angellum, qui unus tantoperè tibi ridet? Versaris inter Civitatis, Collegii &c. socios atque consortes, apud quos nonnullam fortè sapientiæ vel opulentiæ opinionem, aut rerum domi bellive benè gestarum laudem obtines: næ videbere tibi, quantivis pretii: Fac sis, cogites hominum milliones, biliones, triliones &c. quos omnia retrò secula dedere, & futura fortè dabunt: eheu! quantum est tuî similium? quantum te superiorum? Adi urbes amplas & frequentes: nôstine, quàm obscurus futurus? Ut existeres fecit Deus: sed quid tandem ut ex te caperet commodi? *Ecce gentes quasi stilla situlæ, quasi momentum stateræ, reputatæ sunt.* Quòd si frugi esse nolis, quid te futurum censes?

4. *Quamvis quisque nostrûm persona sit ab aliis diversa, cujus proinde res ab orbis reliqui rebus quodammodo sint sejunctæ, nihilominus non posse quemquam per se solum subsistere, sed nos singulos reverà esse totidem partes hujus universi, hujus terrarum orbis, hujus civitatis, hujus familiæ &c. quicum nascendi sorte, domi-*

domicilio, sacramento, conjuncti sumus: ergò Totius, cujus quisque se partem profitetur, Bonum bono suo, servato modò & ratione, esse anteponendum.

De Veritate hujus præcepti videsis suprà, ubi de *Bono suo* & *communionis*, Part.I. Cap.IX. §.3.& 5. Ejus porrò cognitionem ad virtutem acquirendam prodesse vel inde patet, quòd, qui omnia ad se referret, neutiquam religioni haberet, quosvis promiscuè, spe commodi sui, circumvenire, fallere, fraudare, atque adeò fidei suæ prodigus nullum societati, amicitiæ & omninò virtuti locum relinqueret. Cùm ex adverso, si quisque, ut par est, se tanquam partem communitatis spectet, ei haud dubiè volupe sit futurum omnibus prodesse, &, quatenus occasio feret, alienaque commoda postulabunt, adire pericula, ipsamque adeò vitam suam publicæ salutis causâ profundere. Ex qua consideratione facinora illa, quæ heroica dici solent, proficiscuntur.

5. *Affectus, quibus Rectricem damus Virtutem, ut plurimùm eò nos fallere incautos, quod bona in quæ prosequenda animum abripiunt, majora nobis repræsentent, quàm reapse sunt, indeque adeò fieri, ut, quas afferunt, voluptates spe nostra minores & brevioris moræ sint, insequente pœnitudine & dolore.*

Hujus præcepti cognitionem usu sibi familiarem fecisse eò pertinet, ut affectu quocunque commoti judicium de re prosequenda vel omittenda, quod Virtutis negotium est, tantisper suspendamus, dum affectus sic insuper habitus sensim defervescat, ne falsa bonorum specie deludamur. Unde illud Epicteti; *Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis: sed & rem examina, & tibi ipse deliberandi præbe spatium. Deinde utriusque temporis memento; tùm ejus, quò voluptate perfrueris; tùm ejus, quò percepta jam voluptate*

Enchir. c. 56.

luptate dolebis, teque ipse objurgabis. Atque his illa confer, si abstinueris, fore ut gaudeas, teque ipse collaudes.

§. 7.

Ad assequendum quod in votis est, sequentia deinde Philosophi facienda præcipiunt.

1. *Quæ hactenus cognoveris instituto tuo profutura, frequenti & diuturna meditatione menti sunt infigenda, ut in habitum convertantur.*

Quia ad unam eandemque rem animum continenter advertere nequimus, facilè fit, ut quantumcunque perspicuitatis habuerint argumenta, quibus persuasi veritatem admisimus, postea tamen falsis speciebus delusi in contrariam opinionem abducamur, nisi veritas cognita in habitum abiverit. Atque hoc sensu virtus rectè *habitus* dicitur.

2. *Nunquam committendum quicquam contra Conscientiam: enimvero eadem in minimis perinde ac maximis integra & intemerata est servanda.* Vide suprà ubi de Circumspectione Part II. Cap. XII. §. 3. n. 4.

3. *Quod, consulta Veritate, tibi visum fuerit optimum, ea lex sit inviolabilis.* Epict. Enchir. c. 75.

4. *In singulis quæ nobis occurrunt, exercendæ virtuti quæratur materia.* Quidlibet enim vel rectè fieri potest, vel perperam; decorè vel indecorè; justè vel injustè; certa ratione & modô, vel secùs. Idcirco semper nobis invigilandum, nec segniter dispiciendum, quid, quemadmodum decet, agamus; & quid, ut par est, feramus. *Unaquæque res binas habet ansas; unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ prehendas, quâ facit injuriam; ea enim ejus ansa non est tolerabilis: sed illinc potius, esse fratrem, esse unà educatum.* Epict. c. 65.

5. *Vigilantiâ & sollicitudine animi; itemque continua ingenii & artis exercitatione opus habet Philaretus: Illâ quidem, ne quod affectu incitatus agit in consuetudinem verti sinat: Hâc verò, ut contractæ consuetudinis vim infringat.*

Epist. 50. Laborandum est, inquit Seneca, & ut verum dicam, ne labor quidem magnus est, si modò antè animum nostrum formare incipimus & recorrigere, quàm indurescat pravitas ejus. Sed nec indurata despero. Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis: curvatas trabes calor explicat: & aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit: quantò faciliùs animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obsequentior? Hactenus Seneca. Industria porrò in id omnis impendenda, ut motus spirituum animalium his illisve cogitationibus junctos, usque firmatos & familiares factos (in quo ipsa vis consuetudinis consistit, vide supra Part. I. C. VIII. §. 4.) sejungas. Id fieri posse & ratione & experientiâ confirmatum est. Si, notante Philosopho hujus seculi, habitus per unicam actionem acquiri possit, velut cùm ex inopinato res quædam valdè sordida reperitur in cibo, qui avidè & summa cum voluptate comedebatur, inopinatus ille casus usque adeò mutare potest cerebri dispositionem, ut talis cibus posthac sine horrore videri nequeat: haud dubiè actio etiam atque etiam iterata idem faciliùs præstabit. Laudatur Socratis industria in id maximè intenta, ut affectiones animi motusque cupiditatis haberet in potestate. *Convitia æquo animò ab uxore tolerabat domi, ut moderatius injurias ferret ab inimicis in foro: post palæstram cùm vehementissimè sitis ussit, abstinebat potu, ne, ut ipsemet ajebat, affectibus obsequi assuesceret: honestas quoque voluptates, ubi non essent necessariæ, respuebat, ut se faciliùs contineret à turpibus &c.* Hâc

De passionib. Part. I. §. 50.

Læl. Peregr. de emend. aff.

in-

industriâ & exercitatione id tandem consecutus dicitur, ut & fortunæ tenuitatem regiæ opulentiæ anteferret, & injuriosiùs appellatus non permoveretur, pulsatus non excandesceret, morti demùm per summum nefas addictus, nulla vivendi cupiditate adduceretur, ut quicquam remitteret de celsitudine animi, vel causam sceleratos apud judices dicere sustineret. Tenendum verò interim, Philosopho non posse probari studium, quô affectus affectu contrario in ordinem cogitur; quemadmodum venatores & aucupes belluarum operâ ad belluas, volucrium ad volucres capiendas utuntur. Etsi enim is legum civilium in Rep. usus sit, ut metu & spe affectus pejores coërceant: tamen non modò nobilius sed & longè satius est, debellare affectus suos armis propriis, hoc est, firmis animi decretis faciendi semper, quod amori Veritatis convenit, quàm armis alienis, vel ab ipso hoste petitis: quia animus affectum affectu pellens eô sanè miser & mancipium esse non desinit: quemadmodum si in Civitate factio factione supprimitur, non æquè damnô caret, ac si ratione & æquitate turbæ consopiantur, & mutua civium benevolentia redintegretur.

6. *Conversatio cum Probis maximè juvat.* Nulla res, inquit Seneca, magis animis honesta induit, dubiosque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quàm bonorum Virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus ipse sapientium juvat: & est aliquid, quod ex magno Viro vel TACENTE proficias. Epist. 94.

7. *Examen quotidie apud se instituendum, quo quisque se ipsum sibi velut Censorem & Judicem ferat, & priusquam somnum capessit, studia sua, dicta, factaque diurna recogitet juxta illud;*

Mollia ne priùs obducat tua lumina somnus
Exacti quàm ter reputâsti facta diei:
Quid lapsus feci? quid rectè? quid boni omisi?

Eô salubris instituti consiliô & fructu, ut quæ mala fecerit, severè apud animum reprehendat corrigatque: & rectè factorum memoriâ veluti stimulô & protelô Virtutis, sanctum Voluntatis suæ propositum magis magisque firmet. Hæc disciplina Pythagoræ apud Laërtium, jubentis discipulos, quoties domum repeterent, seipsos excutere; *Quid prætergressus? quid gestum in tempore, quid non? Animus*, inquit Sen. *quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodiè malum tuum sanâsti? Cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? Et paulo post; Quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus & liber, cùm aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui Censorque secretus cognoscit de moribus suis?*

De Ira l. 3. c. 36.

ETHI-

ETHICÆ
LIBER SECUNDUS,
QUI EST
EUDÆMONOLOGIA
DE
Præmiis Virtutis, in quibus est hominis Beatitudo.

CAP. I.

De Summo Bono & Fine hominis in genere.

§. 1.

Aretologiam seu Doctrinam de recta Vita, excipit Eudæmonologia, sive Doctrina de rectæ vitæ præmio quod est beata vita.

Expl.

HActenus de Virtute, ejusque acquirendæ adminiculis, superest dispiciendum, quô operæ pretio Virtus colatur. Id autem est vita beata, quæ insolubili nexu cum vita recta jungitur. Quemadmodum in Deo divelli non pos-

sunt τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ μακάριον, quæ duo etiam sola nobiscum ita communicare potest, ut ejus imaginem quodammodo repræsentare valeamus: sic etiam felicitas nostra τοῦ ἀγαθοῦ propago est, nec aliunde manat, quàm ex eo, quòd τὸ ἀγαθὸν, ubicunque suis numeris absolutum est, etiam τοῦ μακαρίου, quod non in spe solùm, sed etiam in re situm sit, comitatum flagitat, neque patitur Dei vel Bonitas, vel Sapientia, ut duo ista separata maneant.

§. 2.

Quæstio de summo bono & fine hominis ad omnem vitam gravissimi momenti est.

Expl.

1. ID agnovêre, qui inter Paganos sapientiæ laude floruerunt. *Quid est*, inquit Cic. *in vita tantoperè quærendum, quàm cùm omnia in Philosophia, tùm id quod his libris* (de finib. bon. & mal.) *quæritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quò sint omnia benè vivendi, rectèque faciendi consilia referenda.* Et Aristoteles, postquàm omni arti, omnique methodo, actioni item & electioni propositum dixisset, *bonum quoddam expetere*, idque exemplis illustrâsset, subjicit tandem; *Nonne igitur magnum ad vitam cognitio finis momentum affert? nam sagittariorum instar scopum habentes faciliùs quod oportet assequemur.* Quidnî enim? Omni actioni humanæ finem præstitutum oportet: secùs si vel temerè, vel incerto fine suscipiatur, etiam ipsa actio incerta & vaga inter appetenda & omittenda oberrabit. Hinc Seneca suo Lucilio; *Quoties*, inquit, *quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire, ad summum bonum & propositum totius vitæ respice. Illi enim consentire debet; quicquid agimus.*

L. 1. de fin. bon. & mal.

Nicom. L. 1. c. 1.

Epist. 71.

Non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ summa proposita est. Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi jam constet, quid velit pingere. Et aliquantò pòst, *Errant consilia nostra, quia non habent, quò dirigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est, multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu.*

2. Hoc ipsum Stultus ac Sapiens interest. Stulti vita temeraria est & vaga, incerto vel nullo fine circumscripta. *Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia proprium, semper incipit vivere: quotidiè nova vitæ fundamenta ponit, novas spes etiam in exitu inchoat:* vitâ antè actâ pro nihilo computatâ. Sapienti contrà finis est certus & summus, ad quem omnia consilia & actiones refert; nec de partibus solùm vitæ, sed etiam de summa deliberat, hocque suum *unum necessarium* reputat. Seneca Epist. 13. Luc. 10. 42.

3. Id ipsum verò quantum momenti afferat ad vitam rectè instituendam, vel hinc satis liquet, quia prout quisque de fine suo ultimo constituerit, ita universa ejus desideria, vota, consilia & actiones hactenus rectè vel secus erunt comparata. Veluti qui summum bonum suis commodis, divitiis, puta, honore, vel ventre metitur, eò intendet omnem vim consilii & opis suæ, ut ista sibi commoda paret &c.

§. 3.

Quòd & quis sit finis, in quem omnia consilia, dicta factaque nostra respiciant, nemo nisi Conditoris sui & universorum ignarus vel oblitus, nescit.

EXPL.

Nic.l.1. c. 1. I. Aristoteles ubi rerum agendarum aliquem esse finem docuit, *quem propter ipsum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus*, eò usus argumentô, quòd alioqui in infinitum fieret progressus, vanusque & inanis appetitus noster esset, se & sua vota vanitatis damnavit, nullô nisi subalterno fine inventô. Equidem vanum fore appetitum nostrum fateor, si finis aliquis summus, voluntatis motionem in se sistens, non esset, quia suâpte naturâ ultimum quid appetentis votum necessariò frustraretur: sed in infinitum heic fieri progressum, satis arguunt hominis peccatoris, nusquam consistendi locum invenientis, errores. Hic ipse tamen progressus pro argumento est, finem aliquem esse ultimum.

II. Quòd Conditoris suî & universorum ignarus sit vel oblitus, qui finem ultimum nescit, patet attendenti; quia alium esse finem ultimum, quàm Conditorem universi ejusque gloriam, absurdum & à ratione alienum est. Id quod sic probatur. 1. Cur Causa prima penderet ab alia? Atqui omninò ab alia penderet, si causa rerum finalis alia esset à causa efficiente prima. 2. Nonne gloria Virtutum Conditoris è rebus conditis undiquaque relucens saltem est finis operis? Unde sequitur, eandem oportere esse finem summum hominis operantis, qui operum Dei visibilium longè illustrissimum & quasi colophon est, quippe cui Deus intelligendi vim & ratio-

rationem cum sapientia, justitia aliisque imaginis suæ dotibus addidit, ut idoneus operis divini spectator & æstimator Conditorem suum æternis laudibus prosequi posset. 3. Quomodo summè perfecto negabitur ulla perfectio? Atqui finem esse & haberi, ad quem omnia referas, non minùs perfectio est, quàm esse causam primam, unde omnia originem sui ducunt. 4. Quomodo vel summus, immensus, optimus, independens; vel gloria summi, immensi &c. ad finem ulteriorem ordinari potest, quin summus ipse subjiciatur & Gloria summi gloriæ tuæ vel alterius alicujus summô majoris servire cogatur, & hac ratione summus ipse negetur? Quapropter etiam Scriptura S. disertè *omnia ex Deo, per* Rom. 11:
Deum & ad Deum: item *propter eum & per eum* 36.
esse docet: atque ideò *quicquid facimus, ad gloriam* Heb. 2:
Dei facere jubet. 1. Cor. 10: 31. 10.

III. Ut autem Gloria Deo est, virtutes suas excellentissimas in Universi, præsertim verò hominis, creatione, conservatione & restauratione multifariàm patefecisse: ita non alium finem ultimum nobis propositum oportet, quàm illas ipsas virtutes Dei, potentiam puta, sapientiam, sanctitatem, justitiam, bonitatem &c. recognoscere, amare, laudibus efferre, earumque amorem verbis & factis testatum facere, atque adeò ad gloriam Dei vivere.

§. 4.

§. 4.

Summum bonum significat vel causam beatitudinis nostræ, h. e. rem, quæ tot tantasque habet perfectiones, ut sui perceptione & communione plenam & perennem afferat satietatem: Vel ipsam Beatitudinem in adeptione & perceptione istius Boni consistentem.

Quô observatô intelligitur, Summum finem idem esse, quod summum Bonum, & rursus ab eodem differre.

EXPL.

I. Nominis *summum Bonum* in utroque significatu usus est promiscuus apud Authores. Priori quidem significatu summum finem idem esse quod summum bonum, patebit suô locô. Posteriori verò sensu distingui, vel inde liquet, quia finis summus propter se est expetendus, non item beatitudo, etsi eâ fruens nil amplius desideres; nisi tute tibi ipsi velis esse finis ultimus, & amorem Dei, studiumque serviendi gloriæ ejus, facere mercenarium: quæ non jam virtus, sed detestabilis φιλαυλία forer, & causa extitit ruinæ generis humani. Cùm enim primus homo, qui medius inter Deum & creaturas constitutus principium & finem amoris sui Deum habere debebat, & creaturas usibus suis subjicere poterat, affectata similitudine cum Deo hunc ordinem luxâsset, ipse sibi principium atque finis appetitionum & motuum suorum factus, turpiter â Deo descivit, seque & totum genus nostrum unâ secum in casum dedit. Hinc Augustinus; *Perversa*, inquit, *celsitudo, desertô eô, cui debebat animus inhærere, principiô, sibi quodammodo finis esse voluit atque principium.*

Civ. D. XI. 13.

2. Etsi autem â virtutis studio non sit alienum, respi-

respicere ad beatitudinem, ceu virtutis præmium; imò ad gloriam Dei pertineat, quæri velle, tanquam *Bonum hominis*, idque non frustrà: *neque enim dixi semini Israelis, frustrà quærite me*: Nihilominus immota stat veritas, solam Dei Gloriam ultimò & propter se, non ullius commodi nostri gratiâ expetendam esse, ut Deo asseratur. Ipsa igitur Beatitudo non propter se quærenda, sed studio illustrandæ gloriæ Dei subjicienda est. Id quod piis usque adeò persuasum, ut fuerint, qui anathema fieri mallent, quàm committere, ut gloria Dei quoquô modô obscuraretur.

Esai. 45. 19.

Exod. 32: 3.
Rom. 9. 3.

§. 5.

Datô igitur summô fine, datur etiam summum Bonum, priori significatu, quod veræ felicitatis est causa, satietatem perennem afferens percipienti.

Expl.

Summus finis voluntatis motionem sistit. Atqui idem facit summum Bonum priori significatu intelligendum. Ergô illô datô, & hoc dari, vel in summo fine inesse summum bonum, necesse est.

§. 6.

Nihilominus etiamnum superest locus quæstioni: An detur summum Bonum, posteriori sensu sumptum: h. e. Beatitudo ex perceptione istius Boni exspectanda, tanquam Virtutis præmium.

Expl.

Causa dubitandi est, quia homo violatô ordine primævô, de quo suprà, summo suo fine & bono

bono excidit. Inde adeò quæstionis sensus huc redibit; *An homini aberranti locus pœnitendi, & regressus ad bonum suum sit relictus?* Habet quidem Ratio naturalis, quod sic quærenti respondeat: nempe, innatum esse homini appetitum, quô fertur in bonum, cui acquiescat, vitam desiderans perpetuam & mortem horrens. Eum porrò appetitum semper vigere, inquietem, indomitum, cruciabilem. Licèt enim aliæ quævis voluptates olim abblanditi desinant, & sensibus fastidio esse soleant, quæ juvenes in deliciis habuere, felicitatis tamen cupido vicissitudinem nescit. Atqui talem appetitum in homine non esse, nisi à Conditore, hoc ipso naturæ instinctu hominem ad suî communionem trahente: proinde frustrà esse non posse; secùs futurum, ut homini torquendo veriùs, quàm oblectando additus dicatur. Id quod ab Optimo Conditore haud dubiè longè alienissimum est. Id equidem, fateor, argumento est, hominem primitùs talem fuisse factum, qui si integritatem naturæ servare vellet, Bonum suum cognoscere, cognitum quærere, & quæsitô sine frustratione frui posset. Verùm, ut nunc sunt res humanæ afflictæ & deploratæ, quæ illius primævæ integritatis supersunt parietinæ & rudera, beatitudinis denuò consequendæ spem certam peccatori non faciunt; sed summùm, longanimitate Dei non oscitanter animadversa, suspicionem ingerunt. Hinc est, quòd etiam Paganorum Sapientissimi, cùm ad eam rem argumenta conquirerent, nihil attulerint certi, & nunquam non hæsitanter fuerint locuti. *Adeò*, inquit Tertull. *omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ Veritatis.* Unde consequitur, id, quod in quæstionem vocatur, è sola luce verbi divini post peccatum humani generis mundo illata, decidi posse. Peccatori porrò consequendæ beatitudinis spem non prorsus interclusam esse, pate-

Lib. de Anima.

patescet ex dicendis. Quâ enim operâ docemus quæ vera sit hominis beatitudo, & quomodo comparanda, etiam parabilem esse probamus, ut sic laboris fiat compendium.

§. 7.

De summo Bono & fine hominis omnes penè Philosophi scripserunt, verùm vix ulla in re magis cæcutivisse, imo nihil unquam infeliciùs aggressi videntur, quàm cùm felicitatis rationem explicandam susceperunt. Unde etiam inter Doctissimos semper magna fuit dissensio. Cujus variæ afferri possunt causæ.

1. *Quia non satis curæ posuerunt in cognitione sui ipsorum.*
2. *Non tàm ex ratione & conscientiæ sensu, quàm suo affectu & propensione animi rem tantam æstimârunt.*
3. *Non attenderunt ad finem creationis sui & universi.*
4. *Quia quæ finem & bonum hominis spectant, meræ sunt tenebræ destitutis verbô vitæ.*

EXPL.

I. QUanquam, ut est animus humanus insatiabilis, cuncti mortales ad summam aliquam perfectionem tendant, qua tamen in re summa ista bonitas & perfectio ponenda sit, non magis inter eos convenit, quàm inter Babylonicæ turris structores. Unde M. Varro apud Augustinum jam suo tempore ducentos octoginta fines eruit, qui pro summo Bono partim haberentur, partim si quid seorsim alicui placuisset, haberi possent.

II. Unde verò factum fuerit, ut alius aliud de summo bono sentiret, operæ pretium est cognoscere.

1. Vul-

1. Vulgò non satis curæ in eo posuere, ut sibi ipsis innotescerent, & ut animæ suæ naturam, ejus â corpore & functionum animæ â motibus corporis distinctionem, atque inde pendentem immortalitatem, compertam haberent. Hæc causa fuit, cur multi hospite neglecto solius domicilii commodo studerent; sive ut planiùs dicam, neglectis quæ ad animæ salutem pertinent, tantùm quæ corporis sunt curarent, bonumque supremum & finem hominis collocarent in rebus, quarum voluptas sensibus perciperetur.

2. In dijudicatione Boni non tàm quod sibi supererat lucis in ratione & conscientiæ sensu, quàm affectum quisque suum & inclinationem, secuti sunt. Hinc adeò non quid omninò & omnibus, sed quisque quod sibi videretur, bonum judicavere. Atqui certè non *omnes eadem mirantur amantque* de quo dictum nobis alibi.

3. Quo conditore, quô itidem fine & usu tùm ipsi, tùm cætera omnia in universo existerent, non considerârunt. Unde factum, ut quanquam *Deum omninò ignorare non possent, nihilominùs ut Deum non glorificarint*, quod fecisse tamen Virtutis erat, *& vani facti fuerint in ratiocinationibus suis* &c. Quinimò Philosophorum plurimi etiam illi, qui aliquo Veritatis amore accensi rerum causas indagare videri vellent, ita suas instituerunt rationes, ut diligenter evitâsse comperiantur, ne in Deum primam omnium causam, ejusque θειότητα inciderent. Neque verò mirabitur, qui ingenium atque animum peccatoris & hominis ψυχικοῦ vel parùm noverit.

Rom. 1: 21.

4. Judicare de vero hominis fine & bono non potuerunt, qui nondum sapere cœperant, destituti luce verbi divini. Hinc Lactantius, postquam Epicuri, Aristippi, Calliphonis, & aliorum Philosophorum Sententias de summo Bono retulisset, non præteritô Academicô, qui nos palliô retrahit ac vetat

Div. Instit. l. 3. c. 7. 8.

rat cuiquam credere, tametsi non afferat ipse, quod sequamur: tandem sic concludit; *Quid ergò superest: nisi ut omissis litigatoribus furiosis ac pertinacibus, veniamus ad judicem illum scil. datorem simplicis & quietæ sapientiæ, qui non tantùm formare nos ac inducere in viam possit; verùm etiam de controversiis istorum ferre sententiam. Hæc nos docet, quid sit hominis verum ac summum Bonum.* Judicem intelligi vult Deum in verbo suo, quod verum ac summum sit hominis Bonum, planissimè docentem.

§. 8.

Ut liquido constet, quodnam sit summum Bonum, suâ perceptione beatitudinem afferens homini, ejus expendenda nobis sunt requisita.

1. *Tale esse oportet, ad quod quærendum, amandum & possidendum homo creatus dici possit: quodque adeò homine; Dei imagine dotato, dignum sit.*
2. *Tale esse convenit, quod, vel in quo sit finis summus homini propositus: ne boni sui quærendi studiô à fine creationis exerret.*
3. *Tale sit, quô homo frui, non uti, debeat, atque adeò quod per & propter se ita expetatur, ut suî perceptione fruentem perfectè beet.*
4. *Oportet esse summum, quod omnia hominis desideria expleat: quô cognitô sapiens, quô amatô bonus, quô perceptô felix fit. Proinde*
5. *Tale, ad quod per virtutem perveniatur, & quod virtute possideatur: neque adeo cadat in malos.*
6. *Denique necesse est esse perenne & æternum, cujus amittendi non sit metus.*

Atque hinc judicatu proclive est, summum hominis Bonum esse Deum Optimum Maximum.

EXPL.

1. Ista requiſita non negabit, qui naturam & finem hominis conditi, atque ingenium veræ virtutis & Boni, quod ipſa ſectatur, paulò penitiùs inſpexerit. Non defuere inter Philoſophos, qui hujus veri nonnihil in Gentiliſmi tenebris viderunt, undecunque demùm iſta lux ipſis affulſerit. Plato enim in *Idea*, hoc eſt, ipſo Deo, quem *αὐτάγαθον* vocat, ſummum hominis bonum conſtituit. Et Pythagorici felicitatem hominis dixerunt, Deo quàm ſimillimum reddi.

2. Requiſita iſta cùm in ſolum Deum competant, etiam in ipſo ſolo ſummum eſſe hominis Bonum, oſtendunt. Imò verò res creatæ cum in finem exiſtunt, ut ſuô quæque locô creaturæ intelligenti teſtentur, finem atque bonum ejus verum & unicum
Pſalm. 19. 1. eſſe Deum. *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Intelligit homo, in rebus creatis non eſſe, quod, tanquam bonum ipſius, ſtudium atque amorem mereatur, & deſiderium expleat. Novit, creaturas omnes, præter mentes Angelicas, dominio ſuo ſubjectas, neque adeò ſe dignum quid facere, ſi ſtudio ſuo & amoris affectu ſe infra illas demittat. Sic enim amor rei creatæ, tanquam Boni ſui, neceſſariò comparatus eſt, ut amantem rei amatæ ſubjiciat, ſollicitudinem, inquietudinem, cruciatum atque omninò ſervitutem ſecum ferens. Amans rei amatæ fortunâ, qualis qualis eſt, afficitur, ejus præſentiâ lætatur, abſentiâ cruciatur, periculis angitur, zelô uritur, atque in omnes affectuum formas pro re nata vertitur, certiſſimô argumentô, amantem rei amatæ, veluti boni ſui, imperio ſubjici. Atqui iſthæc quidem ſervitus homine, imaginem creatoris præferente, indigniſſima eſt, & ordinem divinitus conſtitutum, quô cætera creata homini

ſub-

subesse jubentur, turbat & evertit, ipsumque amantem, injustâ quasi vilitatis notâ, dignitate pristina exuit. Amor enim est quidam veluti contactus animi, imò & immigratio ejus in rem amatam, quæ si amante fuerit ignobilior, ejus dignitatem multis iisque pudendis modis deprimit. *Fieri non potest*, In Psalm. 33. inquit August. *ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est, quicquid cupis, quô beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora te sunt. Tu melior es, tu fortior es: & utique vis melior esse, quàm es, cùm beatus esse vis, quia miser es. Vis esse melior te, & quæris, per quæ id fiat, deteriora te.* Quapropter rebus creatis uti quidem licet, ceu adminiculis ad finem consequendum profuturis, non item frui, tanquam ipso fine & bonô nostrô per & propter se, atque adeò unicè amandô: quomodo amari non meretur nisi Deus. Si quid præter se amari mandat Deus, velut proximum, fratrem, hominem quemvis, utique cum amari vult non per & propter ipsum, non ut finem & bonum ultimum, sed in ordine ad Deum, & propter Deum, ut communi nobiscum bono fruatur in Deo. Sed de hisce plura alibi.

3. Superest difficultas expedienda. Summum bonum, inquit Philosophus, oportet esse *πρακτὸν καὶ κτητὸν τῷ ἀνθρώπῳ hominis studio & industriæ comparabile.* Atqui Deus non est tale Bonum, quod homo per industriam, sibi comparare, & quàm maxime suum facere ac proprium habere queat. *Resp.* Deum & posse & velle fieri Bonum hominis proprium, eamque ad rem conducere virtutis cultum, probant tùm mox, tùm capite seq. dicenda.

§. 9.

Beatitudo est communio cum Deo, quem homo summum esse novit, cui, ut suo, imperturbato amore adhæresit, quô denique ut suô æternùm lætatur.

EXPL.

1. SI Deus est summum hominis Bonum; quod nobis hactenus probatum dedisse videmur, vera beatitudo haud dubiè alia esse non potest, quàm communio cum Deo. Id quod Scriptura S. multis ostendit: extra eam porrò hîc sapere non datur.

2. Ut rem in pauca conferamus, Deus ipse Beatitudinis humanæ summam complexus est, quando
Gen. 17: 7. se *Abrahamo & semini ejus fore Deum* promisit in
fœdere, quod sibi cum illo esse voluit. Quâ phrasi
communionem bonorum quæ homini beando satis
Psal. 33: 12. sint, significari, liquet Scripturæ loca benè multa
conferenti. *Beata gens, cujus Jehova Deus est.*
Ergò cui communio cum Deo est talis, ut eum possit dicere suum ex ore Dei promittentis & promissa
præstantis, ei ad beatitudinem nihil deest. Hinc
Psal. 73: 26. adeò pii, Deo, tanquam *portione sua*, & tanquam
Psal. *forte sibi addicta* gloriantur. Et ne favoris divini be-
119: 57. neficia præsentis tantùm vitæ terminis inclusa, ver-
Thren. 3: bô istô, *Ero Deus tuus*, portendi putes, audi Apo-
24. stolum, qui promissioni sensum suum plenissimum
Heb. 11: inde demùm constare arguit, quòd Deus fidelibus
10. suisque amantibus *civitatem fundamenta habentem*,
nunquam igitur perituram *paraverit*. Quid vero
Deus promissionem suam sic intelligi velit? cùm
Abrahamo, cæterisque patribus, in hoc ævo nihil
contigerit, quod tanti nominis *Ero Deus tuus & se-*
Matt. *minis tui*, magnificentiam impleret. Unde etiam
22: 32. Servator noster, eò quòd Deus se vocat *Deum Abra-
hami,*

hami, *Isaaci & Jacobi*, qui dudum è vita excesserant, argumento verè inexpugnabili conficit, pios istos Patriarchas potiore suî parte etiamnum vivere; futurum præterea, ut eorundem corpora sepulchris condita olim reviviscant.

3. Qualis autem sit ista communio, quantum ejus ex revelatione verbi divini scire datur, pluribus doceant Theologi. De eadem satis esto nobis pro præsenti instituto sequens Theorema.

§. 101

Communio cum Deo, in quâ nostra versatur beatitudo, consistit: Ex parte quidem Dei, *in amore nostrî & indidem proveniente patefactione gloriæ ejus in nobis*. Ex parte nostrî, *in Visione & amore Dei mutuo, & indidem existente gaudio ineffabili*.

EXPL.

1. Beati sunt haud dubiè, qui Deum habent amicum. Atqui *familiare commercium Jehovæ*, amicitia, sive conjunctio habens communicationem consiliorum, *est timentibus ipsum, & fœdus ejus, ut gnaros reddat*. Unde Abrahamus, qui cum Deo fœdus erat, *amicus Dei* dictus est. Et Christus discipulis, *non voco vos*, inquit, *servos, sed amicos meos: quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. *Psal. 25: 14.* *Jac. 2: 23.* *Esai. 41: 8.* *2. Chron. 20: 7.* *Joh. 15: 15.*

2. Cæterùm in patefactione gloriæ Dei in nobis speciatim sitam esse nostram beatitudinem probat illud Apostoli; *Gloriamur spe gloriæ Dei*. Quorum verborum non is sensus est, quasi gloria Dei fieri possit Bonum hominis proprium, virtutisque præmium; *Gloriam meam*, inquit Deus, *alteri non dabo*: Verùm gloriæ Dei patefactio in nobis est Bonum & beatitudo nostra. Sicut enim gloriam Deo *Rom. 5: 2.* *Esai. 42: 8.*

damus, quando eum id esse statuimus, quod unum nos satiare & explere possit, eique ut tali omnem amorem nostrum atque studium impendimus, totumque animi obsequium illi uni addicimus: Sic vicissim è bonitate Dei certò futurum speramus, ut se glorificet in nobis, tanquam divitem, potentem, misericordem, justum, veracem & unicum Bonum, atque ut verbô dicam, Deum nostrum, nosque adeò totos ad imaginem suam transformet.
2. Thess. 1: 10. Hinc idem Apostolus alibi *Dominum venturum dicit, ut gloriosus fiat in sanctis suis, & admirationi sit in omnibus credentibus.* Atque hinc patescit, nec Bonum nostrum, quod beatitudinem affert, nec beatitudinem ipsam, ex re ipsâ spectatam, â summo fine diversam esse.

3. Pariter cum Scriptura Sacra Beatitudinem, ex parte nostrî spectandam, definimus *visionem & amorem Dei*, atque indidem existens *gaudium ineffabile.* Eam enim modò *Visionem & aspectum Dei*; modò *gaudii satietatem* appellat: cujus primitias piis hanc viventibus vitam prægustandas offert, plena perceptione futuræ vitæ reservata. Quod ipsum satis ostendit, hominem etiam ante mortem posse esse beatum, secùs quàm olim Soloni visum, ex cujus mente Ovidius;

——————— Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Quod nec Stoicis excidet, qui usque ad contemptum doloris & mortis doctrinæ suæ culmen, si fides est magnifica jactantibus, erexerunt, dictitantes, etiam in catenis atque suppliciis beatum esse sapientem.

§. II.

§. 11.

E dictis judicatu promum est, quid de variis vel Vulgi, vel Philosophorum opinionibus super Beatitudine & summo hominis bono sentiendum sit. Scil. in omnibus illis bonorum generibus, quæ vel à Philosophis commendata, vel vulgo pro summis fuere habita, desiderantur conditiones suprà in summo bono nobis requisitæ.

EXPL.

1. LOngum foret, hîc omnia errorum Vestigia persequi. Operæ tamen erit pretium, præcipui nominis Philosophos, Zenonem, Epicurum & Aristotelem, tantisper audivisse, eorumque placita saltem perstrinxisse. Cùm etiam Gentilium Sapientissimi de vita post hujus conspicuæ vitæ interitum spem certam non haberent, & de immortalitate animæ hæsitanter loquerentur, ut ex Socratis dissertationibus, ex Scriptis Ciceronis, Senecæ & aliorum apparet: negari tamen non posset, quin homini finis aliquis esset propositus, eò perductus est Zeno cum sequacibus suis de Stoa Philosophis, ut *virtutem* diceret *propter ipsam esse amandam* eamque *sibi esse præmium*: porrò *satis beatum esse sapientem, etiam in Phalaridis tauro.* Hi si veram Virtutis rationem cognoscerent, in amore sitam æternæ veritatis, quæ Deus est, ejusque glorificatio, hactenus non malè sentirent. Nunc quum ab ea veritate deviant, stulti fiunt admiratores suî ipsorum, laudatores ac testes in cæcitate mentis, & omninò idololatræ atque superbi. Sic nescii, virtuti suæ deesse præcipuam summi Boni conditionem, quæ est *esse* vel saltem continere *summum hominis finem*, semetipsos sibi finem constituunt: quæ quidem detestabilis

Plato in Phædon. Tusc. 1. Epist. 64.

stabilis φιλαυτίας est. Deinde, quis non videt, in ea re, quæ secum habet pericula, incommoda, cruciatum, interitum; utique felicitatem, præsertim summam, non posse esse positam, nisi hominem exuere, & inanem verborum sonum sine rerum sensu sequi libeat?

2. Epicurus summum bonum dixit voluptatem. Quam deinde alii, æquiùs de ipso sentientes, tranquillitatem animi ex virtute proficiscentem, & doloris privationem, interpretantur. *Apud Epicurum*, inquit Sen. *duo bona sunt, ex quibus summum illud beatumque componitur: ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione.* Et alibi; *Epicurus quoque judicat, eum, qui virtutem habeat, beatum esse, sed ipsam virtutem non satis esse ad beatam vitam, quia beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute est, non ipsa virtus.* Verùm etsi tranquillitas animi Virtutis fructus sit certissimus, quia tamen non propter se est expetenda, nisi virtutem mercenariam, & virtutis cultorem φίλαυτον facere velis, voluptas certè nequit esse summum hominis bonum, quod, vel, in quo sit summus finis. Quod addunt Epicuri è grege Philosophi de doloris vacuitate, ridet Lactantius; *Quid tam ridiculum, quàm id habere pro summo bono, quod medicus possit dare?*

Epist. 66.

Epist. 85.

Div. Instit. l. 3. c. 8.

3. Aristoteles considerans id, quò omnia hominum vota eunt, quodque, ut Poëta ait, *navibus atque quadrigis petimus*, non esse simplex quid & uniusmodi, neque adeò ad unum aliquod bonorum genus vel animi, vel corporis, vel fortunæ, restringendum, summum bonum ex omnibus istis conflavit. Ne tamen ipsum in se varium & mutabile videatur, in summo bono distingui jubet τὸ κύριον sive *Essentiam*: τὰ ἐπιγινόμενα *necessaria adjuncta* vel *consequentia*: & συνεργὰ sive ὑπηρετικὰ *adjutricia* & *subservientia*. Τὸ κύριον in operatione animæ rationalis secundùm virtutem optimam & perfectissimam

simam constituit. Τὰ ἐπιγινόμενα dicit rectè factorum conscientiam & animi voluptatem. Τὰ συνεργὰ καὶ ὑπηρετικὰ docet esse bona, saltem mediocria, tùm fortunæ, qualia sunt divitiæ, potentia civilis, amici, honor &c. tùm naturæ, ut sunt formæ felicitas, nobilitas, bona prolès &c. Rationem addit; *fieri* Nic. l. 1. c. 9.
enim non potest, aut certè non facilè fit, ut cui necessaria non suppetunt, is bona atque honesta agat. Multa etenim & per amicos, & divitias, & civilem potentiam, quasi per instrumenta quædam aguntur. Quibusdam verò privati nonnulli, ut nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant. Verùm vel obiter intuenti, quas in summo bono requirimus conditiones, illicò patet, in istis nec universis felicitatis humanæ summam, nec singulis peculiare quoddam ad eandem inesse momentum. Satis esto observâsse, quòd hæc beatitudo Aristotelica, quasi per mendicitatem è rebus creatis corrogata, studium atque amorem nostrum totum jubeat esse affixum creaturis, eòque ipsô nos à fine & bono nostro aberrantes, turpique & miseræ servituti naturâ mancipatos in errore & servitute detineat.

4. Sed missis tandem cæteris illis cæcorum ducibus, de quibus verissimè usurpaveris illud Prophetæ; *Qui* Esai. 3:
ducunt te, vel quæ etiam verbi in origine significatio 12.
est, *qui te μακαρίζουσι*, hôc, illôve bonô beatum prædicant, *sunt deceptores tui*: descendamus ad specialiorem præmiorum Virtutis contemplationem, postquam quid de summo fine & bono nobis tenendum sit, ex verbo Dei didicimus: *Cui enim magis de Deo credamus, quàm Deo?*

CAP. II.

De præmiis Virtutis in genere.

Item de communione & amicitia cum Deo, in specie.

§. 1.

Præmia Virtutis dividi placeat in Essentialia & Accidentalia.

Illa sunt, quæ Virtutem per se sequuntur, & cum virtute semper conjuncta sunt.

Hæc, quæ sæpè absunt, tametsi illis digna esse virtus non desinat.

EXPL.

UT constet, quæ vera demùm Virtutis præmia sint, distinctionem præmiorum præmissam oportet. Communio sive amicitia cum Deo, tranquillitas, libertas, pax animi &c. præmia sunt *essentialia*, vera proinde, & cum virtute, prout illa profecerit, semper conjuncta: etsi pro vitæ præsentis statu, virtute laborante, luctante, atque adeò multis modis imperfectâ, sæpè virtutis cultori obscurum sit communionis & amicitiæ inter Deum & ipsum intercedentis experimentum, & tranquillitas animi familiaribus vitæ humanæ lapsibus & erroribus interturbetur. Cæterùm amari à vulgo, honorari, laudari, præesse, & omninò gratos invenire Virtutis interpretes, præmia sunt *accidentalia*, quia quan-

quanquam virtus ex se amabilis & honorabilis sit, ista tamen, nempe *honorari*, *laudari* &c. à Virtute separari possunt & solent. Unde non rarum & insolitum in Virtutis cultore illud ; *benè mereri, & malè audire.*

§. 2.

Verum Virtutis præmium finis est Operis ipsius Virtutis, hoc est, tale bonum, ad quod Virtus suâpte naturâ conducit.

Ejus sequentes sunt Conditiones ;

1. *Virtutis sit proprium.*
2. *Non jam referatur ad officium, sed officiô sit aliquid posterius.*
3. *Sit bonum jucundum ipsius operantis.*

E x p l.

1. VErum Virtutis præmium, quod essentiale diximus suprà, *finis* est *operis* : quoniam τὸ ἀγαθὸν & τὸ μακάριον tam arctè copulata sunt, ut Divina Bonitas ea divelli non patiatur. Neque tamen *finis* est *Operantis*. Boni enim, non commodi sui cupiditate, quæ φιλαυτία est, sed amore Veritatis atque studiô parendi Deo & amplificandi gloriam ejus, ducuntur.

2. Quando præmium dicimus Virtutis proprium, eô ipsô à Virtute, nolente licèt STOA, distinguimus. Neque enim

Ipsa sui merces rerum pulcherrima Virtus

aliter dici potest, quàm quatenus non ut officium, sed ut decus quoddam, animo ex continuo ipsius pro-

profectu accrescens, spectatur. Deinde excludimus, quæ superiùs præmia Virtutis accidentalia dici permisimus. *Laudari* enim, exempli causâ, Virtutis & Viri boni non perinde proprium est, atque *laude dignum* se præstare. Seneca de claritate

Ep.102. loquens, *Ad summam*, inquit, *dicite nobis utrùm laudantis an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quàm si affirmetis meum esse, quòd alius benè valeat.* Insuper quia præmium haud dubiè non ad officium referendum, sed officiô posterius statuendum est, consequitur inde, non quicquid Virtuti proprium, illicò ejus esse præmium. Diligentia, Obedientia, Justitia correctrix & Humilitas, Virtutis propria, neque tamen ejus præmia sunt; quia universa illa pariter ad officium pertinent. Denique præmium Virtutis oportet esse Bonum jucundum, quô fruens Virtutis cultor beatus sit. Ergò Gloria Dei, in se spectata, prout ad Deum ipsum refertur, etsi Virtutis officiô posterior; quinimò eam provehere, Virtutis proprium sit, tamen Virtutis præmium non est: quippe quia hoc sensu intellecta non est bonum aliquod jucundum operantis. Aliter autem sentiendum de patefactione gloriæ Dei in Virtutis cultore: de qua præced. Cap.

§. 3.

Primum, idemque Ultimum, quia Summum, Virtutis præmium est Communio & Amicitia cum Deo.

Expl.

1. IN communione & amicitia cum Deo sitam esse hominis beatitudinem vidimus cap. præced. Eandem porrò Virtutis esse præmium & Scriptura S. docet, & Ratio confirmat. Deus quondam Abramo,

mo, *Ego sum*, inquit, *Deus sufficiens*, tibi ad o- Gen. 17.
mnia, *ambula coram me, & esto integer: & dabo* 2.
fœdus meum, æternam pacem & amicitiam, *inter te*
& inter me. Deus credi vult *remunerator quærentibus* Heb. 11.
ipsum; qui nempe, quâ par est ratione, quærenti- 6.
bus inveniri velit, neque spem eorum frustrari pos- Esai. 40.
sit. Studii illius & quæsitûs præmium minus esse 19.
non potest, quàm ipse est, qui quæri vult. *Ne* Gen. 15.
metuas Abram, Ego clypeus tuus, merces tua magna 1.
valde. Si in luce, amore Veritatis, *ambulamus, si-* 1. Joh. 1.
cut ipse est in luce, communionem cum eo habemus 7.
mutuam. Sic Petrus cùm maxima nobis & pretiosa 2. Pet. 1.
promissa donata dixisset à divina potentia, ut per 4. 5.
isthæc divinæ naturæ participes efficeremur, *elapsi*
ex corruptione, quæ in mundo est, per concupiscen-
tiam, subjicit, *Ad hoc ipsum verò vos omni præterea*
collatâ studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti
notitiam &c. Idem probant characteres, quibus
Servator æternæ Beatitudinis Candidatos describit Matt. 5.
apud Matthæum. 3. &c.

2. Quidni verò Deum inter & Virtutis veræ cultorem intercederet communio & amor mutuus? Vir bonus amat Deum *amore Obedientiæ*, amando Veritatem & Legem Dei. Deus amat Virum bonum *amore Benevolentiæ*, quô illum ut suum, imagine sua signatum, agnoscit, favorisque & gratiæ suæ beneficiis cumulat & beat, ad laudem gloriosæ suæ bonitatis. Hoc ergò inter amorem utriusque interest: Amor Viri boni in Deum, *Obedientiæ*; Amor Dei erga Virum bonum *Benevolentiæ* est. Ille in Deum tendit, in Deo terminandus: hic Virum bonum prosequitur, ab ipso ad Deum, ut finem omnium ultimum, revertens. Unde illud addendum; *ad laudem gloriosæ suæ bonitatis*.

3. Neque tamen, si communionem istam mutuo amore definimus, id ipsum amoris nostri meritum esse putamus, ut Deus nos redamet. Amor

ille

ille Dei, quô amamus, amoris Dei, quô amamur, argumentum est infallibile: non enim Vir bonus prior amat Deum, sed amatus redamat, alioqui ne quidem futurus quod est, nempe Vir bonus, quando solo amore reciproco, quem illi Deus instillat, bonus est. Hujus veri nonnihil
Epist.73. vidit Seneca; *Miraris hominem ad Deum ire? Deus ad homines venit, imò (quod propius est) in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est.* Sed quantò
1.Joh. 4. 10.19. luculentiùs & significantiùs Scriptura S. *In hoc*, inquit, *est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos* &c. Atque iterùm; *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

4. Unde sequitur, Virum bonum reapse beatum esse jam in hac vita, beatissimum deinde futurum in altera. Quid enim ad veri nominis felicitatem desit illi, quem Deus amore, quantô creaturam ad imaginem suî conditam complecti potest maximo, prosequitur? Quid ab illo amore non exspectet, quod dare possit Omnipotens, quod dare velit Optimus?

CAP. III.

CAP. III.

De Tranquillitate Animi.

§. 1.

Proximum Virtutis præmium est Animi Tranquillitas, in gaudio, libertate & pace animi consistens.
Gaudium intellige, quod rectè factorum conscientia parit.

EXPL.

1. SOlidam animi tranquillitatem, quam beatæ vitæ summam dixere nonnulli Philosophorum, non fortunæ munus, neque adeò è divitiis, honoribus &c. exspectandam, sed Virtutis fructum atque præmium esse certissimum, patebit attendenti ad partes ejus singulas, in quas instar maris tranquilli, longè latèque patentis, sese diffundit. Verissimè Poëta;

Non enim Gazæ, neque consularis Hor. Od. 2. 16.
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Et alibi;

Non possidentem multa vocaveris Od. 4. 9.
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet: &c.

2. Prima animi tranquilli dos est *Gaudium* è rectè factorum conscientia: qui certè fructus Virtutis est certissimus, longè dulcissimus & perpetuus. Unde
1. Off. c. 1. Ambros. *Beatam vitam efficiunt Tranquillitas Conscientiæ, & Securitas Innocentiæ.* Hæc illa Veterum laudibus celebrata *εὐθυμία*, quam sensu comperire, quàm verbis exprimere facilius sit & satius. Solidum verò gaudium è Virtute esse multa comprobant. 1. Optimus naturæ Author isti veritati testes dedit affectus naturales, qui rectè vel pravè factorum conscientiam insequi solent, *acquiescentiam* puta, & *pœnitentiam*, de quibus alibi dictum. 2. *Εὐθυμίας* fons est, benè convenire cum Deo. Hoc ipsum autem in quem veriùs, quàm in Veritatis amantem & Virtutis cultorem congruit? 3. Gaudia è rebus extrariis adventitia & infirma sunt, tenuemque habent ac persusoriam voluptatem. Quodcunque enim invectitium gaudium est, fundamen-
Sen. de Vit. Beat. c. 4. tô caret: *Sed in virtute fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua & lætitia alta ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat.* Scitum & verissimum est illud Tso-
Job. 20. 5. pharis apud Jobum, *Jubilatus improborum ex propinquo est.* Quemadmodum gramen, quod è tecto; culmus, qui è terra petrosa nascitur, citò retorrescit, adolescendi causam & vigorem non ex alto, sed propinquo habens. Vel ut torrens è nive, quæ resoluta magno agmine diffluit, & dilapsa alveum nudat, è propinquo est: sic comparata sunt gaudia improborum: exultant rebus nihili, commodis fraude vel arte paratis, bonis extrariis, fortunæ obnoxiis, citò dilapsuris &c. Ex adverso lætitia bonorum alta est, ex alto veniens, fluvii instar, venam perennis aquæ ex imis terræ visceribus haben-
Prov. 15. 15. tis. *Cui cor benè habet, convivium perpetuum.* Bona
Philostr. in Vit. Apoll. conscientia fida comes *nullo loco, nullo tempore à boni viri latere recedit. Eum enim ad omnia sacra*

mittit,

mittit, per omnes vias, per omnia templa, ad omnes hominum species: & plaudens, canensque, ipsum ubique laudat, dormienti quoque assistens praclarum chorum è somniorum domo circumponit.

§. 2.

Libertas animi in eo consistit, quod Vir bonus, uno Veritatis amore contentus, nihil agit, nihilque patitur illibenter & contra animi sententiam.

E x p l.

1. SEcunda tranquilli animi dos, quam Virtus suo cultori largitur, est *Libertas*, non postrema sanè felicitatis pars, si *felicem* dicas, cui, quæ agit, ex animi sententia succedunt. Atqui viro bono animi sententia alia non est, quàm agere, quod Veritatis amori convenit, unde feliciter succedere semper, quod agit, necesse est. Cur verò liberum negemus Virtutis cultorem? nemini enim servit, qui Veritatis amori obsequitur, eô ipsô liberrimus: quippe faciens quod vult; quod non vult, omittens; tantumque faciens, ac non faciens, quantum ipse constituit. Etsi fortè veneat & iniquam servitutem servire cogatur, nihilominus liber est, quia ne tunc quidem quod libet, sive ex animi sententia, agere desinet. Herus cum suus arare, bajulare, pecora pastum agere, verrere, & quæ id genus alia abjectæ servituris sunt, facere jubeat: faciet opus imperatum, non quia jussit herus, sed quia facere vult, officii amore ductus. Quo casu etsi servilis sit ejus conditio, attamen ne servire quidem putandus est eô, quòd herus imperat, & ipse imperata facit. Nunquid si vicinus tuus, quoties te domo exeuntem videt, exire; quoties redeuntem, introire jubeat, ridebis nugas hominis ineptis nunquid te illi obedire putabis, etsi quod jussit, agas?

agas? Nempe non ideò exis & redis, quia vicinus jusserit, sed quia tu sic constituisti. Itidem comparata est viri boni vita. Unde si mandet herus, ut innocentem occidat, ut alienum auferat, ut insidias struat &c. quod in mandatis est non faciet, quia non vult: porro non vult, quia amor Veritatis vetat; etiamsi non obsecutum flagra, lora, pistrinum, furca, & quid non? maneant.

2. Vir bonus etiam, si rem ex vero arbitrari velimus, nihil patitur contra animi sententiam, atque adeò mediis in malis libertate sua gaudet. Sæpiùs quidem multis cum calamitatibus, paupertie, morbis &c. conflictatur, sedibus suis exagitatur, calumniis divexatur, ex hominum odio laborat &c. Unde verò ista, quæ mala putamus? Homines sanè illa nisi Deo volente inferre non posse; quinimò nullam rem creatam hac in parte quicquam valere, suô locô demonstratum dedimus. Numquid igitur â Deo Optimo, simulque amicissimo & benevolentissimo, qui velit, viro bono ut benè sit; numquid item ab Omnipotente, qui, cùm benefacere voluerit, impediri nulla manu potest, immittuntur? Qui ergò fieri potest, ut virtutis cultori verè mala sint ista & calamitosa? An igitur Vir bonus, qui se totum ita resignavit Deo, ut omnes vitæ suæ partes ejus solius arbitriô gubernari ferat, non libenter ista subit omnia? Estne in illis aliquid contra animi ejus sententiam, cui nihil adversum esse potest, nisi quod cum amore Veritatis pugnat? Quid verò hîc, quod amorem Veritatis convellat? Igitur *qui sic animô compositus est, quicquid accidat, nec miserum se reputabit, nec de sua sorte, cum Dei invidia conqueretur. Proinde sive suas ædes, sublatis propinquis, in solitudinem redactas videat, ne sic quidem desinet benedicere Domino. Sive adustis pruinâ segetibus, aut gelu consumptis, aut grandine proculcatis, imminere famem videat: non tamen despondebit animum, nec Deo invidiam*

Calv. Inst. Lib. III. c. 7.

invidiam faciet, sed in hac fiducia permanebit; nos tamen in tutela Domini sumus; alimenta igitur nobis etiam in extrema sterilitate, suppeditabit. Sive morbo affligitur, ne tum quidem frangetur doloris acerbitate, ut ad impatientiam prorumpat, atque ita cum Deo expostulet: sed justitiam ac lenitatem in Dei ferula considerando, ad tolerantiam se revocabit. Denique quicquid eveniet, quia sciet manu Domini ordinatum, placido gratoque animo suscipiet: ne contumaciter ejus imperio resistat, cujus in potestate se suaque omnia semel permisit.

3. Neque tamen negamus accidere posse Viro bono, quæ molesta sint sensui, & tristia, quia non est ἀπαθής. Sed solo sensu calamitatem non esse æstimandam, vel inde liquet; quia sæpè gratum nobis est & volupe, exercere corpus laboribus, luctâ, periculis, & similibus, quæ sensui molestiam creant. Sola igitur obluctatio animi, adversa ægrè ferentis, calamitosum & miserum facit. *Non ergò virum bonum casibus hominum excipimus, sed erroribus: nec illi omnia ut voluit, cedunt, sed ut cogitavit: inprimis autem cogitavit, aliquid posse propositis suis resistere.* Sen. de Tranq. An. c. 13.

§. 3.

Pax animi est quies illa affectuum; quâ non quidem existere, sed velut ademptô stimulô, animum effœminare desinunt.

Expl.

1. Etsi affectus suâpte naturâ mali non sint, pessima tamen est illa animi intemperantia & mollities, qua propendet ad agendum vel omittendum, non quod Lex & Ratio, æternæ veritatis interpretes, jubent; sed quod præsens affectus imperat: quô quidem casu passiones vitiô animi remissi stimulos habent

bent acres, imperia sæva, & semel concitatæ per proclive labuntur & locum consistendi non reperiunt. Verùm & hoc beneficii Philareto nostro præstat Virtus exercitatione & usu adulta, ut Veritatis amore contentus sola legis & Rationis, sive Veritatis, imperia audire, affectuum verò illecebras negligere assuescat? quô ipsô fit, ut affectus neglecti, sensim vires suas simul cum imperio amittant, Rationique sua authoritas, & animo sua quies restituatur.

2. Iderrat Vulgus, quando modus animi sedari putat obsequiô, exempli causâ, tristitiam sedari, si ei indulgeas ad ejulatum usque, questum, gemitum, & lachrymas: iram, si vindices & verberes: metum, si stationem deseras, & te protinus in pedes conjicias &c. Ut enim id verum fatear, pro eo temporis articulo, quô indulges & obsecundas, motus istos sedari; nego tamen sic rectè consuli in futurum, passionum dominatu per animi indulgentiam usque & usque ingravescente: neque enim obsequiô remittuntur vel verè sedantur, sed intenduntur & efferantur. Qui sæpè se dedit lachrymis & lamentis, tandem prorsus liquescit molliti â, ut apis aculeum sine clamore ferre non possit. Quibus sæpè dulce fuit, ulciscendo injuriam â se propulsâsse, tandem eò impotentiæ proficient, ut ad quamvis occasionem excandescentes jurent, spiritum antè, quàm ultionem, amissuros. Atque hæc est *vulgi vita*, verè turbida & inquies, facere quod præsens affectus suadet.

3. Vulgô haud multò meliora sapiunt, qui affectum affectu, ut clavum clavô, pellunt. Velut, qui metu in audaciam verso, malis ad contemptum usque mortis indurescunt, quales sunt gloriosi milites: Item, qui voluptatis cupidinem solo infamiæ metu coërcent &c. Id verò non est pacem animo conciliare, sed novas turbas dare. Videsis suprà Aretol. Part. II. Cap. 13. §. 7.

4. Philosophi contrà, ut certiorem consequendæ tran-

tranquillitatis rationem inirent, animadversò, Vulgum actionum suarum authorem atque ducem ferè non alium habere, quàm affectum, contrariam viam insistere, passionibus bellum indicere atque contra eas agere decreverunt: ita tamen ut institutis haud parùm inter se differrent. Stoici *affectus omnes,* *Lactant. Inst. div. 6. 14.* *quorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt:* sapientem ἀπαθῆ imperturbabilem esse dictitantes. Atqui passiones exstirpare, insanum, impossibile & illicitum esse, suô locô ostensum. Alii his paulò rectiùs sapere volentes, eò omne suum studium advertendum existimârunt, quâ ratione actiones illas omitterent, vel certè tantisper suspenderent, ad quas affectu aliquo se concitari sentiebant. Ex quo *Cic. Tusc. 4.* illud laudatur Architæ, qui cùm villico factus esset iratior, *quò te modò*, inquit, *accepissem, nisi iratus essem!* Significans, se ulciscendi vim differre in tempus aliud, dum ira defervescente dispiciat, justumne & rationi consentaneum foret facinus, ad quod se irâ instigatum videbat. Id verò intutum, & à prudentia alienum est, si enim actio omittenda vel differenda, quia affectu ad eam suscipiendam extimulamur, sæpè sæpiùs occasio benè agendi antè elabetur, quàm affectus refrixerit. Quid? quòd viri boni non sit propter affectum agere vel omittere quicquam, sed veritatis amore duci, sive jam affectus cum veritate congruat, sive diversus abeat.

5. Aliis alia compescendi affectus studia sunt. Ut quòd iis, in quæ animus impetu passionis suæ fertur, identidem contraria facienda vel sectanda suadent: velut si cibus apponatur lautus simul & vulgaris; hunc illi ingratiis suis esse præferendum & capiendum: convitium facienti esse assentandum &c. Atque hac sua arte insidiosissimo hosti insidias parandas existimant. Veruntamen vana sunt hæc studia, nisi amore veritatis, quid sectandum, quid rursus fugiendum sit, docentis, regantur. Etenim absque amore veritatis si animum obfirmes in contrarium,

facilè fit, ut fugienda sequaris, sequenda fugias, & ad emendationem moris, animique tranquillitatem nihil proficias. Adde, ut plurimùm & hoc evenire, ut qui passioni sine amore Veritatis reluctatur, eam magis irritet & lacessat. Hisce enim flammis oleum suffundit, qui obsequitur; flatum ministrat, qui, non vera arte, renititur. Exemplô pudoris id manifestissimum est: qui erubescere cœpit, & niti contra pudorem suum directè pergit, tantò plerumque magis erubescit. Nec mirum, *quia passiones nostræ directè per actionem Voluntatis nec excitari nec auferri possunt, sed demùm indirectè per repræsentationem rerum, quæ solent jungi passionibus, quas habere volumus: & quæ contrariæ sunt iis quas volumus rejicere* &c. Satius ergò est, animum ad aliam aliquam cogitationem deflectere, & quantum pote, affectum, ejusque causam procreantem negligere, quàm pugnam inire apertam.

Cartes. part. 1. de passionib. §. 45.

6. Aristotelici denique Μετριοπάθειαν commendant. Super hac re inquit Seneca, *Utrùm satius sit modicos habere affectus, an nullos, sæpè quæsitum est. Nostri illos expellunt, Peripatetici temperant.* Quos deinceps totâ Epistolâ centesimâ sextâ decimâ refellit. Disputatio longa est, & non hîc referenda. Negamus, vel tantillum, quod illi volunt, passioni rationem prævertenti esse indulgendum, ut non jam modò cum ea, sed etiam ex ea, licèt contracta & moderata, agas: negamus eam, nisi amore veritatis prævertente, ad justum modum ita contrahi posse, ut actionis nec initiô, nec progressu peccetur. *Non est, inquiunt, nimiâ lætitiâ gestiendum, sed modicè ac temperatè. Hoc verò tale est, quale si dicerent: non esse currendum concitatè, sed gradiendum moderatè. At potest & qui graditur, errare: & qui currit, rectam viam tenere. Quid si ostendo esse aliquid, ubi non tantùm modicum, sed vel punctum gaudere vitiosum sit? Et aliud contrà, in quo vel exultare lætitiâ,* mini-

Lactant. div. Inst. l. 6. c. 16.

minimè criminosum? Quid tandem nobis ista mediocritas proderit?

7. Quare concludendum, Virum bonum illam, de qua quærimus, animi quietem, seu Virtutis fructum, eò consequi, quòd nec *ex affectu*, nec *contra affectum*, sed veriùs *præter affectum*, quippe solo Veritatis amore contentus, agere consuevit. Affectum negligens, non curans, adsit an absit insuper habens; in id unum intentus est semper, quod amori Veritatis convenit. Unde affectus tandem obstrepere desinunt, neglecti: quemadmodum qui quempiam allocutus & alloqui pergens, nullum responsum fert, tandem, lassus surdo fabulam canere, silet. Itaque iratus non ideò verberat, quòd impotentis Vulgi est: nec ideò verberibus abstinet, quod summorum Philosophorum esse videtur. Non dicit cum vulgo; vapulabis, quia irascor: nec cum Philosophis; vapulares, nisi irascerer. Sed, vapulabis, non vapulabis, quia sic fieri jubet, vel vetat veritas, quam amo. Causam igitur, non affectum intuetur, quæ vera demùm affectibus moderandi ratio est. Unde rectissimè Lactantius locō mox citatō; *Non in his moderandis*, inquit, *Sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum; quoniam extrinsecùs commoventur: nec ipsis potissimùm frænos imponi oportuit; quoniam & exigui possunt in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine.* Nihil interim vetat; Viros bonos agere cum affectu, hoc est, affectu actionem comitante, non actionis Authore & duce, quod juris soli amori Veritatis esse volunt. Cæterùm, quæ Virtutis in hocce rerum statu perpetuò luctantis & certantis conditio est, hîc labi proh dolor! proclive nimis & quotidianum.

CAP. IV.

De Sapientia & Dignitate.

§. 1.

Alia Virtutis præmia sunt Sapientia & Dignitas.
Sapientia est rerum divinarum & humanarum, præsertim, quæ finem & officium hominis spectant scientia.
Sapientia, si ad os deducatur, Doctrina: si per Doctrinam animis aliorum instilletur, Disciplina est.

EXPL.

1. Sapientia à *sapere* dicitur, voce à sensu gustûs translata, eò quòd gustatu interiora rei exploramus, reliquis sensibus quasi in cortice & superficie rerum hærentibus. Unde sæpè quod tactu frigidum, idem gustu calidum deprehenditur, ut Spiritus vini. Et deaurata medicorum catapotia, quæ visus placida & jucunda dixerat, gustatu horrida & amara comperiuntur. Similiter Sapientia in rem quamque objectam profundè penetrat, intima ejus perquirens; & sæpè longè aliud de re judicat, quàm vel communis hominum sensus, vel recepta Scholarum sententia fert. Sapientia igitur hactenus est cognitio, qualis penitiorem rei explorationem consequi solet. Neque tamen quarumlibet rerum cognitio nomen tàm magnificum meretur. Hinc addimus, esse *scientiam rerum divinarum & humanarum, præsertim, quæ finem* &c. Quapropter sapere dicitur, qui vero fine cognito, quæ in rem suam sint, conspicit: & Sapientia in rebus agendis mutato nomine *Prudentia* appellatur.

2. Sapientiam esse Virtutis præmium, non potest esse obscurum vel obiter attendenti. Unde enim Sapientia, nisi ex amore Veritatis, in quo Virtus? Et ex diligentia sive studio attendendi & inquirendi veritatem, in quo proprietas Virtutis est? egregiè studium illud adjutante & provehente ipsa animi tranquillitate, quâ mens φιλαρέτης consilescentibus sensuum & affectuum turbis in altum sese abdit, veritati audiendæ & consulendæ intenta.

3. Sapientiam porrò suam Vir bonus cum aliis communicare potest, quidni verò & velit? Quæ enim ritè percepimus, & sæpè apud animum volutando nobis familiaria fecimus, etiam ad aliorum captum edisserere possumus, juxta Poetam;

Verbaque prævisam rem non invita sequuntur.

Quod si faciat Vir bonus, Sapientia ejus dicitur *Doctrina*, quippe ad usum docendi in os deducta. Sic verò fieri necesse est, hominibus naturâ ita comparatis, ut quæ Sapientes diuturna meditatione & usu de æterna veritate didicerunt, alii docentium viva voce vel scriptô longè faciliùs capiant & breviori tempore assequantur, quàm si ipsi suo Marte & studio eadem eruere deberent. Constat utique in scientiis & artibus quæ complurium annorum lucubratione inventa fuere, à sapiente vel artifice ita tradi posse, ut paucis mensibus vel annis feliciter ab aliis percipiantur & ediscantur. Hæc porrò Sapientia aliorum animis instillata, dum à Doctore dirigi, foveri & velut manu doceri opus habet, *Disciplina* dicitur. Ubi discipuli eò profecerint, ut ipsi sua attentione & studio eadem assequantur, quæ pridem non nisi docentium operâ assequi valebant, Sapientia, quæ hactenus erat Disciplina, ipsis nomine verso fit Doctrina, quam & ipsi ad os deducere, & aliorum in usum docendo depromere possunt.

§. 2.

Vir bonus hoc ipsô quòd bonus, etiam dignus est omnium amore: eò, quòd sapiens est, etiam dignus est honore, reverentiâ, præsidiô: quod doctus, & pro re nata docens, dignus est laude.

EXPL.

1. Vir bonus *dignus est amore omnium.* Dignus est, cui benè cupias & rectà monenti auscultes, ut nimirùm Deo & legi ejus, cujus se quasi præconem præstat, obedias. Dignus est cujus societatem ambeas, cui te jungas, quia ore suavis & opere gratus est.

2. Quia *honor* est testimonium, quod alteri ex concepta de virtute ejus opinione perhibetur, jure meritissimo Virtutis cultori debetur. Quia *reverentia* est veneratio amore & timore permixtis temperata, quæ facit, ut non quælibet eô, quem revereri dicimus, præsente & spectante audeamus, sed multis abstineamus, certi, ea illi nec probari, nec cum moribus ejus congruere: haud dubiè Vir bonus etiam meritô suô reverendus habetur. Quia insuper, qui alios regere velit, necesse est, antè seipsum regere sciat: An enim ille mihi rex erit, cui muliercula imperat? cui peculiola, gloriola, alii animorum tyranni? *Refrænet priùs libidines*, inquit Cicero, *spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cateras animi labes repellat: tùm incipiat aliis imperare, cùm ipse improbissimis Dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit.* Vir bonus etiam dignus est qui præsit, regat, & in consilium adhibeatur. Ridet hîc Stoam Comicus, quòd Sapientem suum solum Regem prædicet. *Ille à porticu sapiens, clamans altum & intonans*, Ego solus Rex sum; Ego solus dives: *& conspicitur interim ad alienas fores mussitans.*

Paradox. V.

Da tegmen Hipponacti: namque frigeo,
Totusque contremisco.

Stoam defendit Cicero, *verè ista nomina omnia possi-* 3. De
dere sapientem, quæ irrideri ab imperitis solent. Re- Finib.
ctiùs enim appellabitur rex, quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit: Quæ verò sunt ista nomina? audi Poëtam;

Ad summam, Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum.

Vix tamen Sapiens ille Stoicus, annis forte & pannis obsitus, nudus, algidus, famelicus, omnium inops &c. locum suum tuebitur, ulli que Sapienti se regem esse persuadebit. Paulò igitur modestiùs, de viro bono sentiendum, & præmia, quæ Sapienti κυρίως, ab illis quæ non nisi συμβεβηκότως illi conveniunt, cautè discernenda sunt. Vir bonus, quia sapit, dignus est, qui præsit & regat: quemadmodum dignus est, cui honor habeatur &c. At regem creari, honorari, in arbitrio populi est.

Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet: Ut si Hor. E-
Detulerit fasces indigno, detrahet idem. pist.1.16.
Pone, meum est, inquit. Pono, tristisque recedo.

4. Quia *laudem* habet Doctrina clarè & scitè explicans Veritatem, quam sciri & amari quorumvis interest, Vir bonus ab ea parte de quibusvis benè mereri, eosque Doctrinâ & exemplô sibi similes reddere paratus, hac laude, quæ etiam defunctum sequatur, sese dignissimum præstat.

CAP.

CAP. V.

De Amicitia bonorum cum bonis.

Ut & de Virtute, quodammodo sui mercede.

§. 1.

Inter Virtutis fructus atque præmia est bonorum cum bonis amicitia, sive Sancta illa & familiarissima conjunctio, summa animorum consensione & mutuo amore constans.

Expl.

1. QUando bonorum cum bonis amicitiam Virtutis præmium facimus, *hoc primum sentimus, nisi in bonis amicitiam esse non posse*: intellige, veram, non infidam, non incertam, non temporariam. Cui rei hoc dicimus argumentum: Amicitiæ conciliatricem constat esse similitudinem. Atqui viri boni sunt simillimi; animorum enim & voluntatum consensione summa soli conspirant, soli idem volunt, scil. obedire veritati, solis eadem animi sententia & intentio, quæcunque demum sit vitæ sors, conditio, genus, ætas. Voluntatis enim unitas ex fine æstimanda est, qui cùm unus idemque sit bonis omnibus, nempe obedire Deo, servire gloriæ ejus provehendæ, amplificandæ, una omnium Voluntas rectè dicetur, etsi mediorum usu interdum fortè non conveniant. Velut si bonorum unus minis licitis extorquere velit, quod alter promissis honestis commodiùs impetratum iri putet. Hic mediorum

Cic. de Amic.

diorum maxima est discrepantia, minæ & promissa; idem tamen est finis utrique. Sic Virorum bonorum alius philosophatur, alius artem mechanicam, alius mercaturam exercet, alius agrum colit &c. Inter omnes tamen de fine convenit: idem enim omnibus est propositum, Deo obedire & gloriæ ejus servire. Ergò nulla voluntatis hic est discordia: finem enim propriè & quàm maximè volumus, media non nisi propter finem, Voluntate mediis non adhærente, sed ea perlabente & transmittente, ut fini se suo affigat.

2. Mali ex adverso non inter se tantùm, sed etiam sui ipsorum dissimillimi sunt animô, voluntate, studiis &c. Alii alia volunt, quia quisque se vult, & quæ suo cujusque affectui, quô nihil est varium & mutabile magis, arrident. Etsi verò mali quandoque idem velle videantur, ibi tamen nego veram esse voluntatis concordiam & animorum consensionem, quia non eodem fine conveniunt, etsi fortè mediorum usu conspirent. Sic avarus & gloriosus unà militatum euntes, ille ut lucrum, hic ut gloriam aucupetur, diversa volunt, & absolutè dissentiunt, dum quisque seipsum duntaxat respicit, & quod facit, non nisi gratiâ sui facit: mediis verò adhibendis consentientes, non nisi quadantenus consentiunt.

3. Cùm igitur amicitia è radice sua spectata nihil aliud sit, quàm animorum consensio; (*idem enim velle, atque idem nolle, ea demùm perfecta amicitia* visa est etiam Ciceroni) necessum est, bonos omnes & solos verè amicos esse. Nunquid verò etiam in alios, quàm in bonos quadrat illud Aristotelis, qui interrogatus, quid esset amicus? respondit, *una anima duobus corporibus inclusa*. Vel ut alius, *animæ duæ, animus unus*?

4. Ex consensione animorum velut viviradice germinat amor mutuus, quô boni bonos amplectuntur. Cùm enim bonis idem sit animus, eadem voluntas, idem in votis summum bonum & finis &c. quidni con-

constantissimo & ardentissimo amore bonus bonum, velut alterum seipsum, prosequatur. Ipsa quoque virtus per se amoris quoddam velut illicium est. Rectè Cic. *Deinde cùm similis*, inquit, *sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus & natura congruamus, quòd in eo quasi lumen aliquod probitatis & virtutis perspicere videamur. Nihil enim est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* Ex quo amore porrò necesse est consequi, ut boni sibi mutuò quàm optimè velint, quisque alterum perinde ac se ad gloriam Dei esse, & summô suô bonô frui cupiat; ei omnia humanitatis, charitatis &c. officia prona voluntate præstet; honorem, reverentiam, laudem, quam quisque meretur, ab alio non solùm consequi permittat, sed ipse etiam proclivi obsequiô deferat; docentem, monentem, ubi opus corripientem &c. æquô & gratô animô ferat: sic si occasio se dederit, doceat, ut vicissim velit esse discipulus. Sunt enim boni sibi invicem discipuli & Doctores. Nec certè ulla ferè insignior probitatis nota est, quàm velle discere, & facilem docilemque se præbere vera & recta monenti. Denique *consortium inter bonos rerum omnium facit Amicitia: nec secundi quicquam singulis est, nec adversi.*

De Amicit.

5. Unde liquet, quæ vera & durabilis amicitia sit, & quæ rursus assimulata & temporaria: nimirum illa solo communi amore Veritatis & bonô honestô, quod nullis fortunæ casibus obnoxium est, nititur; hæc verò ex φιλαυτίᾳ nascitur, nec aliud fundamentum habet, quàm bonum jucundum & utile, pro cujusque palato & affectu plurimùm varians: Unde temporariam existere amicitiam, qualis est illa Vulgaris plerorumque, necesse est. *Qui se spectat*, inquit Sen. *& propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet. Paravit amicum adversus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit*

Epist. 9.

crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Qui causâ utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, ubi probantur. Hi non Personæ, sed fortunæ sunt amici, de quibus Poëta;

——————— *Diffugiunt cadis*
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.

6. Objicienti fortè, amicitiam esse virtutem, vel virtutis officium, malè igitur inter Virtutis præmia connumerari: respondeo; Si amicitiam spectari placeat ut Virtutem, illa certè diversa non erit à charitate, humanitate, comitate &c. Unde quæ alii de amicitia contrahenda, colenda, conservanda, & rursus dissolvenda tradunt præcepta, ad virtutes, quas ad justitiam reduci diximus, non incommodè referas. Præstat ergò eam hic tanquam Virtutis fructum & præmium, quod suprà nobis ostensum, considerari. Est enim bonum jucundum è virtute proveniens, in quo felicitatis Viri boni nonnulla est accessio. Quàm ille gratulatur sibi obviam factos amicos!

O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.

Cicero de Amicitia loquens, *quâ quidem*, inquit, *haud scio an, exceptâ sapientiâ, quicquam melius homini sit à Diis immortalibus datum.* Post ubi bonorum genera, quibus alii & alii summum bonum metiri solent, enumerâsset, virtutemque amicitiæ matrem & nutriculam, commendâsset exemplis, tandem subjicit; *Cui potest esse vita vitalis, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius,* *Lib. de Amic.*

quàm

quàm habere, quicum omnia audeas sic loqui; ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse, gauderet? Adversas verò ferre difficile esset sine eo, qui illas graviùs etiam, quàm tu ferret &c. Verissimè etiam Cassiodorus; *Amicitia*, inquit, *divitibus pro gloria est, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægrotis, mortuis pro vita; sine qua nullum est vitæ humanæ solatium.* Nec dubitant Theologi, ipsum Sanctorum consortium aliquod allaturum esse momentum ad beatitudinem immortalis vitæ cœlitum.

§. 2.

Ipsa denique Virtus suô quôdam modô, sui merces atque præmium est.

E x p l.

Epist.81. Illud Senecæ; *Virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad præmium: rectè facti fecisse merces est*: admittam, si de fine operantis, non operis, accipiatur. Neque enim convenit, virtutem aucupio commodi tui atque delectationis servire. Virtutis quidem ipsius fructus atque præmium multiplex est præter ipsam; nihilominùs etiam ipsa inter sua præmia est duplici nomine. 1. Quatenus est decus quoddam animæ, & imago Numinis, quâ Virtutis Cultor ornatur & perficitur. Eum nempe fructum fert Veritatis amans, quòd Deo Veritatis authori & exemplari, quoad creaturæ & vitæ præsentis fert conditio, similis evadit. 2. Quatenus amanti Veritatem in quotidiano amoris profectu lucrum est certissimum & incomparabile. Læta Virtutis incrementa sunt ei, qui ideò tantùm probus esse vult, ut probus sit semper magis magisque, laudabilis de Virtute in Virtutem progressus ei, qui semel positis impedimentis beatissimum Virtutis curriculum ingressus est. Felix, qui se, suaque vota & desideria omnia

omnia intra hujus curriculi limites conclusit: Atque hæc sunt, quæ bonos exspectant præmia. Ex adverso, quæ malos maneant mala, nihil ferè est negotii conjicere, cùm contrariorum contraria sint consequentia.

CONCLUSIO.

Hic finem facimus institutioni nostræ. Hortandi tantùm estis, quotquot hactenus inter discipulos Veritatis nomen profitemini vestrum, in animum dicta admittere, ad usum & opus exserere, id est, facere fructum. *Sicut parum est audisse* (ait Epictet.) *probas drachmas accipiendas, falsas rejiciendas esse: sed opus est facultate probandi & discernendi*: ita haud in magno, de bonis malisque audisse; tractanda sunt & pernoscenda usu; tùm hæc fugienda, illa amplectenda. Quid juvabit ista omnis dissertatio & indagatio, si ea tantùm? Non enim qui sermone sapit, is mihi sapit, inquit Greg. Theol. nec qui linguam disertam & volubilem habet, mentem autem inconstantem & indoctam: sed magis, qui pauca de Virtute disserit, multa autem factis ostendit, & fidem verbis suis ipsâ vitâ conciliat. Vera didicisse, & quæ didiceris agendo confirmâsse, solidum operæ pretium est.

FINIS.